PONTIFICVM ROMANORVM

QVI E GALLIA ORIVNDI, IN EA SEDERVNT, HISTORIA

AB ANNO CHRISTI M. CCCV. ad annum M. CCC. XCIV.

EX MSS. CODICIBVS NVNC primùm edita, & notis illustrata.

OPERA ET STVDIO

FRANCISCI BOSQVETI Narbonensis IC.





PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XXXII.





ILLVSTRISSIMO PRÆSVLI D. HENRICO SPONDANO APPAMIARVM EPISCOPO

FRANCISCVS BOSQVETVS

ÆTERNITATEM.

NÆ vanus & futilis sum, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, *si Ecclesiasticam Historiam oblaturus, ut offerentis consuetudo, & oblationis ratio suaderet, illius dignitatem tibi commendem. Ti-*

bi nempe, cuius ſtudio & cura, quæ quantaque res Hiſtoria ſit, quilibet iam demum agnoſcit. Errabamus omnes per antiquitatis tenebras, nec eruta ex diuerſis locis vetera monumenta, nos in veram rerum priſcarum notitiam deduxerant. Quod cùm rebus politicis noxium, quæ nullo exemplo, nullo duce in incertum trahebantur; tum maximè Eccleſiaſticis incommodum erat, quæ ferè toto Eccleſiæ & Hæreſeos negotio ad auctoritatem & priſcorum rituum peritiam redacto, aduerſariorum præſtigijs & commentis oppugnatæ inclinare videbantur. Cùm Eminentiſsimus & ſanctæ memoriæ Cardinalis Baronius, Eccleſiæ bono, hoſtium cladi natus, paſſu indefeſſo per lon-

gum rerum Ecclesiasticarum iter decurrens, sentibus obsitam, puluere sordidam, situ humilem, incerta antiquitate obscuram, eius Historiæ viam nobis aperuit. At Deus optim. Max. quantam in molem suum opus vir μακαριώτατος perduxit! cuius licèt magnitudo & multum vtilitatis afferat, & ad expugnandos Ecclesiæ hostes necessaria videatur; quàm tamen auido Lectori ingrata, quàm suo pondere inuisa. Multos ipsius rei cupido ad legendum pellexit, plurimos ipsa prolixitas deterruit: & ni te PRÆSVL SANCTISSIME, *Deus humano generi ad votum præstitisset, pauci tantum virum nossemus, plures admiraremur. Fortunatum virum, qui suorum operum illustrato-*

rem, & laudum præconem, viuẽs videre, audire, & approbare meruit. Quanto gaudio vir ille beatus, rei Ecclesiasticæ historiam in duodecim tabulis à se magno cum labore descriptam, non minore studio, vtiliore exitu, poliore penicillo à te in vna aut altera tabella delineatam admiratus est. Vidit totus orbis Christianus, & hæc duodecim cœlestia signa, ab illo temporum Domino, Ecclesiastici cœli planeta tot annis decursa, à tuo lucido sydere tam breui tempore illustrata, & peracta suspexit. Vidit, suspexit, & optauit, quod fœlici voto, & euentu, iam te perficere audio, vt quod præmatura bono publico mors beatum illum Cardinalem exigere non est passa, tua Ampli-

tudo ad vmbilicum perduceret. Huic ædificio dum ex omni regione lapides & ligna colligis, & illi tuo mellificio omnem florem demetis, flumen delibas, rorem illum cœlestem vndecúmque coges, memini me superioribus annis à te humanißimè Tolosæ exceptum, quædã vetera eius Historiæ quam illustras monumenta tibi obtulisse. Mitto nunc Innocentij III. Põtificis Maximi Epistolas, quas iam ante lustrum vnâ cum notis prælo expressas, tetra illa lues quæ Prouinciam nostram vastabat, & vis nescio quæ diuina in hodiernam diem suppresserunt. Vitas Gallorum Pontificum cùm Deo ita placet, denuo Sanctitati tuæ repræsento: Eas olim tui nominis destinatione & voto religio-

ſas , te annuente, publicas facere audeo; Illæ, ſi ita amas, interim plebem ſubmouebunt, & te mox venturũ præconiâ quaſi voce denuntiabunt. Non ego quidem tanti ſum, vt prodromus tuus cenſear, præcipuè vbi abſolutiſsima Epitome tua præceſsit; eo tamen animo, vtinam pari ſucceſſu, hanc hiſtoriam emitti velim, vt dum olim deſiderata à lectoribus in ea percipientur, mentes eorum ad tuam, quæ ne hilum quidem illorum deſiderio eſt relictura, accendantur. Hæc fuſca Orientis tui Solis aurora, tantiſper hominum oculis grata, donec ille tuus ex alto montium cacumine radios emittens, inuia & inuiſa ſplendore ſuo manifeſtet. Ergo age, PRÆSVL ILLVSTRISSIME &

ab hac nocte mortalium mentes vindica; iam te venturum dum mea fide expectant, spes inanes ne destitue, & quando Christianæ Reipublicæ necessarium est, cursum tuum ne retrahe. Ecce quò oblationem meam publicus amor deduxit; preces & vota eius nomine concepi, cùm insolentis mei munusculi veniam expostulare deberem. Illud si ad dignitatem tuam non accedit, si à prophanis manibus affertur, & imperitis precibus offertur; tua humanitas, illaque sanctitas quæ tuo ordini annexa in te præcipuè sedet & elucet, diutius in substratione vel fletu me pœnitentem intra atrium non patientur. Perfectißimo, ni me fallo, tua pietas me conciliabit, & benedicto ad

altare hoc manipulo, in gratiam ſuam me recipiet. Tunc conuerſis pro æternitate tua ad Deum votis, cùm alterius rei niſi Zeli mihi conſcius ſim, hac mihimet conſcientiæ gratulatione adblandiar, quòd ſi pro publica re aliquid tentans nihil effeci, te ſaltem venturo, bonum nuntium illi prædixi. Lutetiæ Pariſiorum Calend. Maij Anno Salutis M. CCC. XXII.



PONTIFICES ROMANI E GALLIA ORIVNDI, quorum vitæ in hoc libro deſcribuntur.

CLEMENS V. Anno Chriſti M. CCC. V. pagina 9.

IOANNES XXII. aliàs XXI. Annó M. CCC. XVI. pag. 18.

BENEDICTVS XII. Anno M. CCC. XXXIV. pag. 45.

CLEMENS VI. Anno M. CCC. XLII. pag. 71.

INNOCENTIVS VI. Anno M. CCC. LII. p. 106.

VRBANVS V. Anno M. CCC. LXII. pag. 142.

GREGORIVS XI. Anno M. CCC. LXXI. p. 198.

CLEMENS VII. in ſchiſmate contra Vrbanum VI. Anno Chriſti M. CCC. LXXVIII. pag. 239.



LECTORI.

SI qua Historiæ propria virtus, ea veritas est (Amice Lector) quæ tantillùm immutata, vel offensa, illam in fabulam vertit. Nec enim rerum euentus descripturus, & in negotijs tractandis posteros edocturus, eos arbitrio suo componet; sed genium & stilum fidei rerum accomodans, mortalium mentes per commenta non sinet aberrare. Plures posteriora hæc nostra tempora tulere, qui ea neglecta virtute, venerandam hanc antiquitate sua matronam legibus suis efformantes, infami sub titulo, proût cuique numeratum erat, Principum *& nationum animis pro gratia, vel simultate prostituerunt. Paucos contrâ nouimus superioribus sæculis eo morbo laborasse: adeò eius æui scriptoribus culta veritas, & ingenui mores fuerunt. Accessit eorum candori, in rebus & earum causis inquirendis diligentia, qua relata & audita cunctanter, visa & cognita audacter enarrabant. Suis ob id solùm vicinorumve negotiis erant addicti, ne si res vel hominum memoria, vel locorum internallo remotas in medium afferrent, tum suorum oculis & auribus, cum posterorum mentibus illudere viderentur. Quapropter vetera eorum monumenta diligenti studio perquisita, e situ demum & puluere eruta, summo in honore habita sunt: nec inuestigandæ priscæ historiæ via*

tertior visa est, quàm si euolutis Bibliothecis omnibus, quod quisque de rebus sui saeculi scripsisset, in lucem emitteretur. Hoc propositum me admirantem, simile studium incessit; & cum alteri operi vires impares agnoscerem, huic labori incubui, nec destiti, donec sensi me in hac palaestra frustra non desudasse. Auxit hanc curam Juris Ecclesiastici studium, quod historia Ecclesiastica ope destitutum, nutat plerumque, & labitur: quodque tot editi à doctis viris antiqui libri, in huiuscemodi priscis monumentis latere facilè demonstrant. Ea inter quibus schedae meae succreuerant, vitas & acta Pontificum Romanorum, qui extra vrbem in Gallia sederunt, à coaeteneis ferè & depopularibus scriptas inueni. Opus non mole ponderosum, non eloquentia cultum; sed fide autorum venerandum, stili simplicitate ingenuum, Galliae quae eos dedit Pontifices honorificum. Quae me maximè impulerunt, vt à puluere vindicatum tui iuris facerem, Amice Lector; *& quando tibi Pontifices Gallos depingebam, eos vt ab ipso exordio probè dignosceres, breuem historiae superioris anacephalaeosin eius fronti adtexere in animum induxi. Quam cum genij mei sit, vt me hominem & talem scio, errore omni vacuam fore non spero: atque ideo quod in omni opere meo soleo, praefabor, me lubenter censoriam tuam notam passurum, quam si amico, non maledico animo adhibueris, me imposterum lucrifacturum polliceor. Olim quidem veram & legitimam historiam, cuius in anacephalaeosi aliquod specimen vides, componere statueram: at praeter quam quòd ab aliis vniuersam hanc spartam adornari intellexi, ipsa rerum & temporum necessitas, quae variis tempestatibus actos nobis ipsis abstraxit, ab hoc proposito animum abduxit. Iuram*

itaque auctorum manum exhibeo ; in quorum erga te beneficij vi partem aliquam veniens te mihi concilium , quandiu Typographus illis edendis operam dedit, prout quæque charta expressa est , succisiuas meas operas, breues historicas notas dico, adhibui. Quas licèt tantulum studium, quod ad typographi in cudendo moram productum vel contractum est, commendare non possit : fortasse tamen in aliquibus enarrandis subleuatus tuus labor, opitulântis manum exosam non habebit. Is fuit præcipuè animus , vt tam angustis temporis spatiis conclusus, non quæ passim apud authores obuia esse possent, sed quæ vel obscuritate vel fide apud plerosque laborarent, ex probis & præcipuè coetaneis scriptoribus, historicæ veritati restituerem. Hoc vnum autem te velim aduertere, incertos esse vitarum Pontificum à Benedicto XII. ad finem vsque scriptores : quòd illæ in Biblioth. Regis Chronicam à Canonico S. Victoris conscriptam sequantur, alterius eiusdem familiæ opus esse fortè non abs re existimabimus. At temporum interualla, & stili diuersitas, authores diuersos arguunt : & ipsa Monachi manus ad Clemen. VII. vitam ab exscriptore notata, ex diuersis Collegiis eos fuisse demonstrat. Duas verò priores Clementis V. & Ioannis XXII. vitas Bernardo Guidoni astruo, ex fide trium MSS. exemplarium : cùm tamen alia manu exarata quæ videre contigit longe diuersa sint, licèt Bernardi nomen præferant : immo & catalogus Episcoporum Romanorum Ecclesiæ Viennensis à Massono laudatus, nunc à Quercetano possessus, in Ioanne XXI. eadem ferè habeat, quæ hic noster Guido. Mirum quantum in huius viri nomine erratum sit à librariis, quodque præcipuum, ab ipsis historiarum scriptoribus, qui

ex illo horum ferè omnium Gallorum Pontificum acta enarrant. Quibus ipse Guido aduersatur, cùm Im*peratorum, Regum Francorum, &* Paparum *Historia ab ipso conscripta, in emendatioribus & absolutissimis MSS. Codicibus Annum Christi* M. CCC. XXX. *non egrediatur, atque ipsa Paparum Ioanni* XXII. *dicata sit; neque illa eius nomine circumlata, quæ ad Clementem VI. pertingit, ipsius Ioannis* XXII. *supremos dies describat. Itaque fidem MSS. secutus his vitis Bernardi nomen inscripsi, nec ex aliis Ioannis* XXII. *vitam perfeci, ne tot scriptoribus hoc opus interpolarem, quod fortè aliquando Deus ex variis MSS. antea ineditis absoluere dabit: Interim animo beneuolo hæc* παρεργα *accipe.*

SVMMA PRIVILEGII Christianissimi Regis.

LVdouici XIII. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate cautum est, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos sex annos, à die impressionis primæ inchoandos excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, ac ratione curet, librum qui inscribitur *Pontificum Romanorum qui in Gallia sederunt Historia à Francisco Bosqueto Narbonensi nunc primum ex MSS. codicibus eruta & notis illustrata.* Præter Sebastianum Cramoisy Bibliopolam Iuratum & Ciuem Parisiensem, aut illos, quibus ipse concesserit, sub pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Ruelij 7. Maij 1632.

De mandato Regis,

Signatum

PETIT.



PONTIFICVM ROMANORVM QVI IN GALLIA SEDERVNT, HISTORIA.



GNOVERANT superiora longè ſæcula, à Friderico I. è Germania in Italiam traducta partium nomina: quarum Guelfa, Eccleſiæ, Gibellina, Imperio militabat. Illa ſub Henrico aliquantùm interſopita, cùm filij Friderici II. & maximè Innocentij IV. ſeditionibus reuixerant. Non vrbs, non Italia, ſed orbis ferè totus, his partibus ſciſſus: ipſorum Patrum animus ad deteriores factiones concitus, quas Patriciæ Romanorum familiæ ſacra purpura auctę

diû fouerunt. Acceſſit diuerſarum nationum ſtimulus, & hos Italos, hos Gallos, rapiens quoſque patrius amor diuiſit. Fruſtra remedia tentarunt, quibus ſolius Reipublicæ cura ſancti Pontifices, cùm Eccleſiæ ſollicitudinem, niſi cum hoc nomine inducere non liceret: adeò vt Bonifacio VIII. gentili Gibellino, Guelfæ partis neceſſaria cum Pontificatu adfectatio. Vnúſque Gregorius X. Chriſtiano nomini vel Gibellinum quicquam obeſſe, vel Guelfum prodeſſe prædicarit. Nec potuit Nicolaus III. licèt ipſe & Vrſinorum agnatus, & Columnenſium cognatus, factiones ex his familiis eiicere. At hæ partes quámlibet magnæ, ſuis tamen viribus ruituræ, diuerſis nationum animis, Regum gratia, opibus, dignitate fretæ, diu ſteterunt.

Præualebat Manfredus cum Gibellina parte aduerſus Eccleſiam, dum Carolus Regnum Siciliæ indepturus, Gallorum Patrum conſilio, à Pontificibus Gallis Vrbano IV. Clemente IV. in Italiam aduocatur. Deletis Manfredo, & Conradino, inclinata Gibellina factione, ſtante re Gallica, ſtetit Reſpublica Chriſtiana. Huius demum Princeps Nicolaus

III. electioni suæ contradicentem Carolum ægrè passus, & vltro oblatam affinitatem repudiatam ita doluit, vt eum & Patricia dignitate, & Imperij Vicariatu spoliarit: cognatisque illis honoribus auctis, affinibus & depopularibus in sacrum ordinem conscriptis, secretò cum Ioanne de Porchyta Petri Arragonum Regis Legato colloquutus, Siculam leuitatem approbat, Ecclesiæ Romanæ Beneficiario vltra modum infensus. At vbi vixit, Viterbium ex Hetruria venit Carolus, Patrum Gallorum in conclaui cum Italis decertantium animos præsentibus viribus recreat: eóque conniuente ferunt Vrsinos Cardinales Viterbiensium inimicorum turba in carcerem detrusos, donec Martinus IV. natione Gallus, Patrum votis eligeretur. Exinde semper vota Patrum apertè scissa sunt, & succedentium Pontificum licèt aduerso rei Gallicæ animo, stetere tamen Columnensium & Vrsinorum factiones, quas post biennij interpontificium vocatus ex heremo Petrus de Morone dictus Celestinus V. non potuit sedare. Adeò vt Benedictus Caietanus, ad Columnésium & Vrsinorum captanda pariter vota, Ca-

rolum alterum Siciliæ Regem exorauerit; cuius precibus Mathæus de Vrsinis, & Iacobus de Columna in eam vicem consoni, eum in Bonifacium VIII. elegerunt. Verùm deportato à Bonifacio Columnensium genere, ipsóque Philippo Francorum Regi aduersante, quasi consopitis familiarum partibus, in amicitiam Franci Columnenses simul & Vrsini coiuere, & prælanguido eorum in animis Italici nominis stimulo, amicos sibi quisque comparauit. Bonifacio mortuo, eius amici & consanguinei, generis, & animi eiúsque memoriæ deuotum: Philippi cõtra, illius manibus hostem Papam quærere, nec tam Gallum, vel Italum, quàm Philippo beneuolum, Bonifacio inimicum optare.

Hæc fuere crudelis deinde schismatis incrementa latentia, proxima mutandæ Romanæ sedis fundamenta. Non equidem Gallici animi, qui ad seruandam Petri coronam, auito more, res nouas molientibus rebellibus Italis, in solo proprio & Sanctæ Sedi deuoto potentiores. Sed Italiæ factiones, nationum dissensiones, familiarum partes, quas ad Reipublicæ Christianæ cumulum, Pontificum &

Regum inimicitiæ exceperunt.

Igitur potentiores Bonifacio deuoti, ſucceſſorem illi dant Benedictum XI. ex Religioſa Prædicatorum familia ad purpuram euocatum. Cuius obitus ad Nonas Iulij Anni M. CCC. IV. redintegratis Patrum factionibus vndecimeſtre interpontificium dedit. Concluſi erant Patres Peruſij, vbi Benedictus deceſſerat: quælibet eorum pars ex animo ſibi Pontificem poſcere. Bonifaciorum & Italorum, qui in vnum coierant Præſules Mathæus de Vrſinis, & Franciſcus Caietanus: Gallorum ſeu Regiorum Neapoleo de Vrſinis, & Nicolaus de Prato. Hic acris & ſagacis ingenij vir, vt Eccleſiæ prouideat, Regi faueat, partem ſuam euehat, Patribus in Comitiis palam narrare, non diu ſine capite corpus Eccleſiaſticum ſtare poſſe, vltra dilatam electionem atrox nimis, & periculoſum interpontificium parituram. Semotis arbitris, rem ad hunc modum tranſigi Franciſco perſuadere: vt è Gallis (Tranſalpinos vocabant) tres vna partium eligeret, è quibus intra quadraginta dies, vnum ſibi altera in Pontificem optaret. Placuit omnibus hæc conuentio, & Itali conditione accepta tres

Regi infensissimos præsules, Transalpinos licèt, nominarunt. In his Bertrandus Archiepiscopus Burdegalensis, qui & Bonifacio ob Conuenarum sedem priùs ab eo obtentam, Archiepiscopalem postmodum acceptam vltra modũ addictus, & ob vastatos à Carolo Valesio propinquorum agros, aliáque agnatis damna illata, hostis Philippi dicebatur. Ad eum tamen Nicolaus animum aduertit, vel quia aliàs amicus & gratus erat, vel quia genium Aquitanicum nouerat, facilem, honoris cupidum, nullóq; labore in Philippi amicitiam ruiturum. Hoc Gallicæ parti persuaso, rei seriẽ per secretos nuntios à Patribus die XI. Parisiis Philippus accepit. Is nihil moratus ad D. Ioannis de Angeriaco Santonum oppidum præmonitum litteris Bertrandum sexto die pauco comitatu conuenit: habito ad syluam proximam arcano colloquio, Rex sibi, & Valesio Bertrandum conciliare, penes se eius Pontificij potestatem, ad eam rem acta Perusij narrare, ad maiorem fidem litteras legere. Attonitum rei non speratæ nouitate Bertrandum, ferunt ad Regis pedes procubuisse, Carolo se amicissimum iurasse, & ambitiosum animũ se

Regi ad quæcumque deuinxisse. Iussum surgere Rex osculatus, hæc capita ab eo stipulatur. Primum, vt sibi capti Bonifacij, læsæque Maiestatis Pontificiæ, venia detur. II. vt Ecclesiasticæ censuræ, queis eius rei causa notati fideles & amici, expungantur. III. Decimæ Regni resarciendis Flandrici Belli expẽsis ad quinquennium concedantur. IV. Bonifacij memoria damnetur. V. Columnenses honoribus quibus à Bonifacio spoliati restituantur: amici alij in Cardinalium collegium allegentur. Sextum tacet loco & tempore dicendum. Bertrandus horum omnium sponsionem sacrosanctæ Eucharistiæ sacramẽto firmat, vltra cautionum vice & pignorum, fratrem & ex fratre filios dat Regi obsides Parisios ducendos: deinde visitationem suæ prouinciæ resumit, cui à Rege vocatus incumbebat. Rex verò cursores Perusium remittit, quibus tricesimo quinto die reuersis, ex mente Regis, Patres Galli innouatis pactionibus, & sacramentis, Bertrandum Burdegalensem ore Nicolai Pontificẽ pronuntiant. Approbant Itali secretæ artis ignari, acclamãt omnes amico Põtifice electo. Populo declaratus, contentiones & rixas

in Cardinalium & Magnatum familiis peperit, singulis eum vt amicum vendicantibus. Interea Decretum electionis datum Perusij Anno M. CCC. V. Indictione III. die VI. Iunij, à patribus datur, Guidoni Abbati Belliloci Virdunensis Diocesis, Petro de Montegiello Sacristæ Ecclesiæ Narbonensis, & Andreæ de Hugugio Canonico Catalaunẽsi, sedis Apostolicæ, & Patrũ collegij oratoribus. Bertrãdus visitans Prioratũ de Lesinhaco in Diocesi Pictauẽsi, ex cursoribus nuntium accepit. Burdegalã reuersus XI. Cal. Aug. in Tẽplo D. Andreæ accepto decreto Clemẽs vocari voluit. Tertio Cal. eiusdẽ mensis, vacatura imposterũ beneficia collationi suæ seruat, eodẽ quo priùs vsus sigillo. Eò vsq; latuerant Italos artes Gallorũ, & amicus Pontifex quotidie Romæ expectabatur: dum decretum illius affertur, quo Patres Lugdunum ad Pontificiam inaugurationem euocantur. Ilicò astus Gallicos Cardinalis de Vrsinis noscere, præhabitas artes detegere, votis potitum Nicolaum de Prato curia trans Alpes euocata, geniúmq; Aquitanicum, quem apprimè nouisset, longos ibi annos illam detenturum, palam iactare.

CLEMENS QVINTVS.

Ex Chronica MS. Bibliothecæ Fuxensis, Fratris Bernardi Guidonis, Ordinis Prædicatorum, Hæreticæ prauitatis Inquisitoris, postea Episcopi Lutebensis.



LEMENS V. nascione Vasco de loco qui Vilandrau dicitur Burdegalensis diocesis oriundus, de Patre Berardo milite, fuit electus in Papam apud Perusium in vigilia Pentecostes, quæ fuit nonis Iunij, anno Domini M. ccc. v. Sedit annis viii. mensibus x. diebus xv. à die electionis suę, vsque in diem sui obitus computando. Vacauit autem sedes annis duobus, mensibus tribus, diebus xvij. Hic priùs vocabatur Bertrandus de Gotho, fuitque primùm Episcopus Conuenarum, & exinde translatus in Burdegalensem Archiepiscopatum, electúsque est in Papam, & tunc temporis suam Prouinciam in Pictauia visitabat. Veniens autem de Pictauia in Burdegalam in mense

Iulij ſubſequentis, receptus fuit cum ingenti gaudio, & honore, vbi recepit decretum electionis ſuæ in craſtino ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſequenti die ſcilicet XI. Calend. Auguſti in præſentia Prælatorum, & Magnatum in Eccleſia Cathedrali ſancti Andreæ ſede ſua ſedens in cathedra Clemens vocari voluit, & elegit, & ex tunc cœpit agere,& ſe gerere ſicut Papa. De Burdegala verò receſſit in finem ſequentis menſis Auguſti,peruenitq; Lugdunum,conueneruntque ad eum Cardinales, fuitque coronatus Lugduni, in Eccleſia S. Iuſti Dominica intra octauas S. Martini, ſcilicet XVIII. Calend. Decemb. præſente Domino Rege Franciæ Philippo. Hic Clemens Papa Pontificatus ſui anno primo, in Aduentu Domini ſubſequenti,ſcilicet XVIII. Calend. Ianuarij,fecit vnam ordinationem Cardinalium, inter quos fuerunt, Petrus de Capella, Epiſcopus Toloſanus, Berengarius Fredoli Epiſcopus Bitterrenſis,Arnaldus de Cantalupo Electus Burdegalenſis, Frater Thomas Anglicus Magiſter in Theologia, & Frater Nicolaus Gallicus Cõfeſſor Regis Frãciæ, ambo de Ordine Prædicatorũ,Stephanus

Archid. Brugenſis Cancell. Regis Franciæ Guillermus Arruffati, Arnaldus de Pelagrua, Raimundus de Gotho nepos Papæ, Petrus Arnaldi Bearnenſis Abbas ſanctę Crucis Burdegalenſis, cui non fuerunt anni attributi in Cardinalatu, ſed obijt infra annum. Item Iacobum & Petrum de Columna patruum & nepotem, quos Bonifacius Papa depoſuerat, repoſuit in Cardinalatu Rege Francorum procurante. Anno autem Domini M. CCC. VI. Clemens Papa recedēs de Lugduno redijt Burdegalam, vbi ſedit cum ſua curia eo anno. Deinde Annno Domini M. CCC. VII. Clemens Papa cum curia ſua de Burdegala vadit apud Pictauiam, vbi ſtetit Curia anno vno, & ampliùs. Eodem anno in feſto S. Eduuardi Regis III. Idus Octobris fuerunt capti Templarij vbique in toto Regno Franciæ ſubitò vna die. Anno autem Domini M. CCC. VIII. circa finem menſis Auguſti Clemens Papa cum Curia ſua receſſit de Pictauia verſus Auenionem dirigens greſſus ſuos, vbi cū Curia ſua ſedit. Anno autem Domini. M. CCC. IX. venerunt Nuntij & Ambaxiatores Regis Alamanniæ Henrici apud Auenionem,

petentes confirmationem electionis & coronationem Imperij ab ipso Papa sibi dari, Papa verò eius electionem admisit, & confirmauit, volens ipsum nominari Regem Alamaniæ & Romanorum, & coronationem Imperij promisit, tempus eidem assignando, vt à festo Purificationis ad duos annos Romam veniret, coronam ibidem Imperij percepturus. Eodemque Anno Domini M. CCCIX. Idus Septembris apud Auenionem Clemens Papa ad instantiam Regis Fráciæ Philippi, & suorum, in publico Consistorio pronunciauit, vt liceret persequi volentibus procedere contra memoriam damnandam Bonifacij PP. VIII. qui ab eisdem iamdudum de crimine hæresis extiterat infamatus. Anno autem Domini M. CCC. X. quinto Idus Maij per Archiepiscopum Senonensem cũ suis Suffraganeis in Concilio Prouinciali Parisius cógregati, fuerunt sententiati, & iudicati Templarij, & propriis confessionibus tamquam impœnitentes super nefanda & profana professione sua, fuerúntque relicti curiæ sæculari, & per eandem igni traditi, & combusti: vnum autem & mirãdum fuit, quod omnes & singuli eorum confessio-

nes suas, quas priùs iurati fecerant in iudicio, retractarunt, dicentes se falsa fuisse confessos, nullam super hoc reddentes causam aliam nisi vim, aut metum tormentorum quòd de se talia faterentur. Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno VI. Dominicæ verò Incarnationis M. CCC.X. in sabbatho Quatuor temporum Aduentus, scilicet XIV. Calend. Ianuarij, apud Auenionem fecit secundam ordinationem quinque Cardinalium, qui fuerunt Arnaldus de Felguris Archiepiscopus Arelatensis, Bertrandus de Bordis Episcopus Albiensis, qui obiit infra annum sequenti mense Septembris, Arnaldus Nouelli Abbas Fontisfrigidi Cisterciensis Ordinis, Raimundus de Fargis nepos Papæ ex sorore, Bernardus de Garno de sancta Liberata. Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno VII. Dominicæ verò Incarnationis M. CCC. XI. in Calendis Octobris apud Viennam supra Rhodanum generale Concilium conuocauit, fuitque prima Sessio Concilij inchoata XVII. Calend. Nouemb. & inter colloquia, & tractatus super agendis, deductum est tempus per totam hiemem subsequentem. In sequente verò mense

Martij feria quarta in Hebdomada sancta XI. Calend. Aprilis. Summus Pontifex multis Pręlatis cum Cardinalibus corã se in priuato Consistorio cõuocatis, per prouisionis potiùs, quàm cõdemnationis viam, ordinem Templariorum cassauit, & penitus anullauit, personis & bonis eiusdẽ ordinis dispositioni, & ordinationi suæ & Ecclesię reseruatis. In sequẽti verò mense Aprilis tertia die eiusdem mensis, Anno Domini Incarnationis iam mutato, scilicet M. CCC. XII. fuit secunda Sessio Concilij celebrata, in qua prædicta cassatio ordinis Templariorum fuit per summum Pontificem radiante Concilio promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo cum tribus filiis suis, cui negotium erat cordi: sícque annullatus est ordo Templi post annos CLXXXIV. quibus militauerat, impinguatus ac dilatatus nimis. In sequenti verò mense Maij pridie Non. eiusdem mensis in festo S. Ioannis ante portam Latinam, sabbatho intra Octauam Ascensionis Domini, fuit tertia & vltima Sessio celebrata, & Concilium quod ferè septem mensibus protractum fuerat, terminatum, in quo fuerunt multæ constitutiones editæ. Post cele-

brationem verò Concilij Clemens Papa cum curia sua versùs Auenionem reuertitur de Vienna. Eodem verò anno Domini M. CCC. XII. sabbatho in ieiunijs Quatuor temporũ Aduentus. X. Calen. Ianuarij apud Auenionem Clemens Papa fecit tertiam ordinationem nouem Cardinalium quos assumpsit, qui fuerũt, Guillelmus de Mandagoto Archiepiscopus Aquensis, Iacobus de Osa Episcopus Auenionensis, Berengarius Episcopus Bitterrensis, Arnaldus de Auxsio Episcopus Pictauiensis, frater Guillelmus Petri Magister in Theologia Lector Palatij de Ordine Prædicatorum, Frater Vitalis de Furno Magister in Theologia de Ordine Fratrum Minorum, Michael de Becco Gallicus Decanus S. Quintini, Guillelmus Testa Condomiensis, item Abbas sancti Seueri Ordinis S. Benedicti. Hic Clemens Papa Pontificatus sui anno VIII. Dominicæ Incarnationis M. CCC. XIII. quinta die Maij in sabbatho apud Auenionem canonizauit Fratrem Petrum de Marrone quondam Papam Cælestinum, & sub nomine sancti Petri Sanctorum Confessorum catalogo annotauit, à transitu eiusdem S. Petri an-

no XVII. fuitque eius feſtiuitas inſtituta XIV. Calend. Iunij, qua die tranſiit ex hoc mundo. Anno autem Domini Incarnat. M. CCC. XIII. circa finem huius anni, in feſto S. Benedicti Abbatis, in caſtro de Montiliis prope Carpentoratem Ciuitatem in qua tunc Curia morabatur, Clemens Papa fecit coram ſe in Conſiſtorio publicari conſtitutiones quas priùs fecerat ordinari, ex quibus decreuerat fieri librum vnum, quæ dicuntur Conſtitutiones Clementinæ, cœpitque exinde ægrotare, vnde poſt obiit triceſima die ſcilicet XII. Calend. Maij, & ſic conſtitutiones illæ non fuerunt miſſæ ad ſtudia generalia, vt eſt moris, nec expoſitæ cõmuniter ad habendũ, ſed remanſerunt ſic quadriennio in ſuſpenſo, donec poſtmodum per ſucceſſorem eius fuerũt publicatæ, & ſub bulla ad ſtudia generalia deſtinatæ. Hic Clemens Papa cùm de Carpentorate Ciuitate infirmus portatus fuiſſet vltra Rhodanum, apud Caſtrum de Rocamaura, obiit ibidem 12. Calend. Maij, Pontificatus ſui anno IX. Dominicæ verò Incarnationis Anno M. CCC. XIV. fuitque reuerſum corpus eius vltra Rhodanũ apud Carpentoratẽ Ciuitatem

uitatem vbi Cardinales cum alia Curia
residebant. Sequenti verò mense Augu-
sti de Carpenctorate fuit transuectum
corpus eius in Vasconiam patriam suam,
fuitque sepultum sicut elegerat in Eccle-
sia Beatæ Mariæ de Vsesta Diœcesis Va-
atensis. Defuncto autem Clemente Pa-
pa, Cardinales numero XXIII. qui apud
Carpenctoratem ciuitatem cum alia Cu-
ria residebant, intrantes conclaue in Pa-
atio Episcopali pro electione summi Põ-
ificis facienda, cùm ibidem aliquandiu
erstitissent non valentes concordare,
iborta graui & grandi turbatione &
ommotione exteriùs inter familias eo-
umdem, ipsum conclaue circa festum
eatæ Mariæ Magdalenæ concorditer
ierunt, statuentes tempus intra quod
dire debebãt ad eundem locum, ad ele-
ionem Summi Pontificis celebrãdam.
ed subortis variis quæstionibus, & iur-
s in inuicem, quæ stilo magis relin-
enda sunt, quàm scribenda, illuc mi-
nè redierunt. Sed in diuersis ciuitati-
s, & villis dispersi sunt; steterúntque
diuisi loco & proposito annis ampliùs
àm duobus, fuerúntque tractatus plu-
habiti per personas medias inter eos,

quorum finis tandem fuit, mediante Domino Philipo tunc Comite Pictauiæ germano Regis Franciæ Ludouici cui successit in Regno, quòd congregati sunt in Lugduno, vbi conuenerunt in Conuentu fratrum Prædicatorum in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, Anno Domini M. CCC. XVI. ibique diligentia, arte, & ingenio præfati Domini Philipi, & consilij sui fuerunt omnes conclusi, nec exire permissi, cùm prius nescirent nec crederent se ibi debere concludi, non enim potuissent in vnum diuisis animis aliàs congregari.

IOANNES XXII.

Ex eodem Bernardo Guidonis.

IOannes XXII. de Caturco Ciuitate natus, electus fuit in summum Pontificem in conuentu Fratrum Prædicatorum Lugduni, VII. Idus Augusti in Sabbato Dominicæ Incarnationis, Anno M. CCC. XVI. erat autem Cardinalis Episcopus Portuensis, fuitq; coronatus more Pontificum Romanorum Lugduni in Ecclesia Cathedrali, Non. Septembris.

Dominica prima eiusdem mensis. Hic priùs vocabatur Iacobus, & exinde Ioannes vocatum est nomen eius: fuerat autem priùs Episcopus Foroiuliensis in Prouincia Aquensi, & inde translatus factus fuit Episcopus Aucnionensis, & inde assumptus factus est Cardinalis, & sic gradatim ascendendo, tandem assumptus est ad Papatum. Hic de Lugduno circa finem mensis Septembris recedens peruenit apud Auenionem secunda die mensis Octobris in sabbato, vbi cum Curia sua sedit: & in sequentibus ieiuniis Quatuor temporum in Aduentu Domini feria sexta, scilicet. xvi. Calend. Ianuarij fecit vnam ordinationem octo Cardinalium quos assumpsit, qui fuerunt, Bernardus de Castaneto, dudum Albiensis, nunc verò Aniciensis Episcopus, Iacobus de Via nepos ipsius Papæ de sorore, Gancelinus Ioannis de Caturco Vicecancellarius, Bertrandus de Podieto, diœcesis Caturcensis, Petrus de Reblaio Gallicus Cancellarius Regis Franciæ; Bertrandus de Monte fauentio Caturcensis, Gaillardus de Mota, Vascó natione; Ioannes Caietanus; Romanus de Vrsinis. Hic Dominus Ioannes Papa Pontificatus sui

anno primo, apud Auenionem canonizauit,& ſanctorum Confeſſorum catalogo adnotauit ſanctum Ludouicum Epiſcopum Toloſanum, filium quondam Caroli ſecundi Siciliæ Regis, VII. Idus Aprilis Anno Dominicæ Incarnationis M. CCC. XVII. Eodemque anno defuncto prefato Domino Iacobo de Via, Cardinali, fecit Cardinalem Dominum Arnaldum de Via, germanum eiuſdem, circa feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ. Eodem quoque tam in menſe Iulij quàm Auguſti, Eccleſiam Cathedralem Toloſanam ſancti Stephani erexit in Archiepiſcopalem ſedem, primumque Archiepiſcopum inſtituit in eadem Dominum Ioannem de Conuenis: Dioceſim verò Toloſanam quæ in reditibus Epiſcopalibus plurimùm abundabat, in ſex Epiſcopatus diuiſit, quorum Epiſcopi eſſent Suffraganei Archiepiſcopi Toloſani, ſexque villas in nouas ciuitates erexit: videlicet, villam Montis Albani, villam de Riuis, villam & Abbatiam de Lomberiis, villam cum Abbatia de ſancto Papulo, villam de Vauro, villam de Mirapice: Epiſcopos ac Epiſcopales ſedes conſtituens in ſingulis earumdem, fueruntque con-

ſequenter iuſſu & ordinatione eiuſdem Summi Pontificis dioceſes certis terminis limitatæ. Item in Archiepiſcopatu Narbonenſi, duos Epiſcopatus fieri ordinauit, quorum primum & prius poſuit in Limoſo, & ipſum inſtituit in eodem, ſed paulò poſt ſedem inde tranſtulit ad Abbatiam de Electo. Secundum verò Epiſcopatum inſtituit infra annum, & ſedem eius poſuit in Abbatia ſancti Pontij, fueruntq; dioceſes limitatæ conſequenter. Item Epiſcopatum Albienſem diuiſit in duos, Epiſcopalem ſedem inſtituens in Abbatia Monachorum apud Caſtras, villam Caſtrenſem in nouam erigens Ciuitatem. Item Epiſcopatum Agennenſem diuiſit in duos, villamq; Condomenſem in nouam erigens ciuitatem, Epiſcopalem ſedẽ poſuit in Abbatia S. Petri de Condomo, fuitque conſequenter dioceſis limitata. Item in Epiſcopatu Lemouicenſi alium fieri ordinauit, Epiſcopatumque & Sedem Epiſcopalem conſtituit in Abbatia Tutellenſi nouam ibidem erigens ciuitatem. Item in Epiſcopatu Petragoricenſi, in villa de Sarlato, modo conſimili, in nouam erigens ciuitatem. Item in Epiſcopatu Claromon-

tis in villa ſancti Flori, nouam inſtituens ciuitatem cõſimiliter inſtituit nouam ſedem. Item Epiſcopatum alium ordinauit, ſedemque eius poſuit in Abbatia, ac villa de Vabrio eandem erigens ciuitatem. Item in Epiſcopatu Pictauienſi duos Epiſcopatus alios inſtituit, ſedem propriam & diœceſim nouam cuilibet aſſignando, in Abbatia ſiquidem de Malleſio ſedem eſſe conſtituit, & Malleacenſis diœceſis appellatur. In villa verò de Lucionio in Abbatia ſedem poſuit, & Lucionenſis diœceſis nominatur. Item in nonnullis villis in Toloſano, Carcaſeſio, & Albigeſio, & alibi inſtituit collegiatas Eccleſias, Canonicorum Secularium cum dignitatibus, & Præbendis, redditibus ſingulis eccleſiis aſſignatis. In monte Albano ſiquidem Collegiatam Eccleſiam inſtituit cum Decano & Canonicis, qui vnà cum Monachis Abbatiæ dicti loci vbi ſedes eſt Epiſcopalis ad electionem de Epiſcopo faciendam conuenirent. Item in Caſtro nouo de Arrio Collegiatam Eccleſiam inſtituit cum Decano, & Canonicis, qui vnâ cum monachis ſedis Epiſcopalis ſancti Papuli, concurrerent ad electionem Epiſ-

opi celebrandam. Item in Ecclesia sancti Pauli de Fenelhedesio diœcesis Electensis Collegiatam Ecclesiam instituit, um Decano, Canonicis, & Prebēdis, qui nà cum monachis sedis Electensis concurrerent ad electionem Episcopi celerandam. Item in villa de Burlato Aligesij, Collegiatam Ecclesiam instituit um Decano, & Canonicis, qui vnà cum nonachis sedis Cathedralis Castrensis oncurrerent ad electionem Episcopi ceebrandam. Item in villa de Insula Iorlani diœcesis Tolosanæ, & in villa sancti 'œlicis eiusdem diœcesis, & in castro Montis Regalis Carcassonensis diœcesis, Collegiatas Ecclesias instituit, cum Decanis, & Canonicis, & Prebendis. Item Anno Domini. M. CCC. XVII. in mense Nouembri Pontificatus sui anno secuno, fecit publicari, & cum Bulla Papali, d studia generalia destinari, constitutioes quas Clemens predecessor eius fecext, quæ Clementinæ vocantur, & nonum fuerant ad generalia studia destinare, sed vsque tunc steterant in suspenso. tem Anno Dom. Incarnat. M.CCC.XVII. dem Dominus Papa post grauem dissenonem, & turbationem subortam in Or-

dine Grandimontis, ad ſedandam eandem ordinauit, & ſtatuit, vt ipſe Prioratus Grandimontis, qui totius ordinis noſcitur eſſe caput, Abbatia deinceps cenſeatur: & Abbatis eiuſdem electio pertineat ad Conuentum, & in triginta nouem domibus eiuſdem Ordinis ſint Prioratus Collegiati, & Priores à Collegio eligantur, & ad Abbatem pertinet confirmatio eorumdẽ. Actũ eſt hoc elapſis iam tunc temporis annis ducentis quadraginta ab exordio Ordinis computando. Hic Dominus Ioannes Anno Dom. M. CCC. XVIII. in menſe Auguſti, Archiepiſcopatum Tarraconenſem, qui vnus tãtum erat, in Regno Arragoniæ diuiſit, & conſtituit eſſe duos, ſedem Cæſaraugustanam Epiſcopalem, in Archiepiſcopalem erigens pro ſecundo, quinque ſibi ſuffraganeis Epiſcopis deſignatis ex illis XI. quos priùs Tarraconenſis Metropolis obtinebat, ſex prioribus Suffraganeis reſeruatis. Item Anno Domini M. CCC. XIX. pridie Idus Martij inſtituit nouum Ordinem qui diceretur de militia Ieſu Chriſti, in Regno Portugalliæ, ad reſiſtendum in regione illa infidelibus Sarracenis, ſecundùm regulam & inſtituta Ca-

latrauensis Ordinis. Item Anno Domini M. CCC. XIX. æstatis tempore veterem Abbatiam Montis Cassini S. Benedicti Abbatis in nouam sedem Episcopalem erexit, primúmque Episcopum instituit in eadem. Hic Dominus Ioannes Papa Anno Domini M. CCC. XX. XV. Calend. Maij, Pontificatus sui Anno 5. apud Auenionem Canonizauit & Sanctorum Confessorum catalogo annotauit Sanctum Thomam Anglicum quondam Episcopum Erfordensem, à felici eius transitu ex hoc mundo Anno XXXVIII. Hic quoq; Dominus autem Ioannes Anno Domini M. CCC. XX. XII. Calend. Ianuarij feria vj. in ieiuniis Quatuor tēporum Aduentus fecit ordinationem vnam septem Cardinalium quos assumpsit, videlicet: Reginaldum la Porta de Alassato Lemouicensis Diocesis, Archiepiscopum Bituricensem: fratrem Bertrandum de Turre de Cambolco Caturcensis Diocesis, de Ordine fratrum Minorum, Magistrum in Theologia, Archiepiscopum Salernitanum: Petrum de Patro Diocef. Caturcensis Archiepiscopum Aquensem: Simonem de Archiaco, Diocef. Sanctonens. electum Viennensem: Pilum for-

tem de Rampiſtano, de ſancto Georgio prope fluuium Tarni Dioceſis Albienſis, Epiſcopum Riuenſem: Petrum Textoris, de ſancto Antonio Dioceſis Caturcenſis, Vicecancellarium Curiæ: Raimundum de Rufo de Caturco ciuitate. Anno verò Dominicæ Incarnationis M. CCC. XXII. in menſe Auguſti, idem Dominus Papa, ſuſpendit ſententiam excommunicationis, ac pœnas alias contentas in conſtitutione Nicolai Papæ tertij edita ſuper regula fratrum Minorum, quæ incipit: Exiit qui ſe[illegible]inat, Extra de verborum ſignificat. [illegible]o ſexto, contra gloſantes, vel aliter exponentes, niſi grãmaticaliter, aut determinantes in ſcholis, ſeu prædicantes, aut docentes. Hic Dominus Papa Põtificatus ſui anno VII. Dominicæ verò Incarnationis M. CCC. XXIII. XV. Calend. Auguſti apud Auenionem Canonizauit, & ſanctorum Confeſſorum aſcripſit catalogo ſanctũ Thomam de Aquino, de Ordine fratrum Prædicatorum, Doctorem egregium, anno quinquageſimo decurrente à felici eius tranſitu de hoc mundo. Item eodem Anno Domini M. CCC. XXIII. pridie Idus Nouembris ad perpetuam rei memoriam

perpetuo declarauit edicto; quòd pertinaciter affirmare, quòd Chriſtus & eius Apoſtoli nihil habuerunt in ſpeciali, nec in communi, hæreticum ſit cenſendum, aſſertionemque huiuſmodi pertinaciter deinceps eſſe erroneam, & hæreticam definiuit, cùm contradicat ſcripturæ ſacræ, quæ pleriſque locis ipſos nonnulla habuiſſe teſtatur. Item pertinaciter affirmare, quòd Chriſto eiuſque Apoſtolis in his, quæ ipſos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, nequaquã ius ipſis vtendi competierit, nec illa impendendi, ſeu donandi ius habuerit aut ex ipſis alia acquirendi, deinceps fore erroneum, & hæreticum declarauit, cùm ſcriptura ſacra teſtetur ipſos præmiſſa feciſſe, ſeu facere potuiſſe ſuponat expreſſe, cùm talis aſſertio vſum ipſorum euidenter includat in præmiſſis fuiſſet non iuſtum, quod vtique de Saluatore noſtro ſentire nefas eſt, & ſcripturæ ſacræ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum: prædictámque declarationem, & definitionẽ Apoſtolicam cum Bulla ſua ad generalia ſtudia deſtinauit. Hic quoque ſummus Pontifex Anno Domini M. CCC. XXV. Sabbato primo Quadrageſimæ, videlicet VI. Idus

Februarij reprobauit & sententialiter condemnauit in Consistorio quodam pestiferam postillam fratris Petri Iohannis de Serinhano Diocesis Bitterrensis, de Ordine fratrum Minorum, continentem dogma pestiferum, & articulos erroneos, & hæreticos, è qua sumebat fomentum Secta quædam pestifera illorum qui Beguini vulgariter appellantur, qui se fratres pauperes de tertio Ordine S. Francisci communiter nominabant, ex quibus plures fuerunt tanquam hæretici cōdemnati, & combusti. Hic Dominus Summus Pontifex Pontificatus sui Anno XII. Domin. Incarnat. M. CCC. XXVII. feria VI. Quatuor temporum Aduentus, videlicet XV. Calend. Ianuarij, fecit tertiam ordinationem X. Cardinalium, quos assumpsit; videlicet Ioannem de Conuenis Archiepiscopum Tolosanum; Anibaldum Gaitanū, Romanum, Archiepiscopum Neapolitanum: Iacobum Cisterciensis Ordinis, Magistrum in Theologia, Episcopum Mirapiscensem: Raimundum Rutenensis Diocesis, Episcopum sancti Pauli; Petrum de Mortomari Lemouicensis Diocesis, Episcopum Antissiodorēsem: Petrum de Capis, Episco-

ium Carnotensem: fratrem Matthæum de Vrsinis, Romanum, de Ordine Prædicatorum, Magistrum in Theologia, Archiepiscopum Sipontinum: Petrum de Toleto, Hispanum, Episcopum Carthaginis vel Murciæ, Ioannem de Columna, Romanum: Vbertum de Puteo, de Monte Pessulano. Hic Summus Pontifex plures constitutiones edidit, vtiles & salubres. Hic quoque contra Ludouicum Ducem Bauariæ qui in contradictione in Imperatorem electus fuerat, sed eius electio per sedem Apostolicam, sicut est moris, & iuris, non fuerat approbata, & pro Imperatore se gerebat, multos fecit processus per temporum debita interualla, cum publicis & peremptoriis citationibus editis, qui cùm non duxit comparendum, fuitque tandem per eundem Summum Pontificem priuatus iure, siquidem sibi ratione talis electionis competierat aut competebat, necnon excommunicatus, & fautor, & defensor hæreticorum adiudicatus. Qui Ludouicus prauo vsus malorum consilio cõtra eundem Summum Pontificem Vicarium Domini Iesu Christi, & aduersus Apostolicam sedem & Ecclesiæ vnitatem, multiplici-

ter, & barbaricè ſe erexit, venienſque Romam quendam Pſeudo-Antipapam Romæ fieri fecit legibus & ordine peruerſis, & execratis orationibus execrari potiùs quàm ſacrari ſub anno Dominicæ Incarnationis M. CCC. XXVII. in menſe Maij: cui Antipapato ipſe Ludouicus reuerentiam exhibuit, tanquam Summo Pontifici, & tanquam Papam manu tenuit & deduxit in graue ſcandalum Eccleſiæ Domini Ieſu Chriſti. Præfatus Pſeudoantipapa fuit frater Petrus de Raynalucij de Corbario Reatinæ Dioceſis, de Ordine fratrum Minorum, qui antequam habitum eiuſdem Ordinis aſſumeret, vxorem habebat Ioannam Mathei de Corbario, cum qua cohabitauerat coniugaliter annis quinque, & rupto fœdere coniugali, ipſa viuente, & inuita, ſpreta fide coniugij, ad fratres Minores ſe contulit, & habitum eorum ſumpſit, & Beati Franciſci regulam eſt profeſſus. Hic Petrus de Corbario æterna miſeria dignus, de ſecta Nicolaitarum, quam Ioannes in Apocalypſi odibilem deſcribit, ſpreta tam religionis, quàm Catholicæ fidei profeſſione, profanæ, & inſanæ electioni in Antipapam, manum dedit &

animum, & se Nicolaum quintum à suæ partis consortibus voluit nominari, cœpitque insinuando agere, & se gerere tanquam PP. R. in ipsa vrbe, in opprobrium dictæ vrbis, fecitque Cardinales secum complices in vesania, & conatus est scindere Ecclesiæ vnitatem, vtpote minister & membrum Antichristi. Præfata autem Ioanna vxor eius ipsum repetiit in iudicio corã Episcopo Reatino oblato libello: pro qua Ioanna contra prædictum Petrum, per Dominũ Ioannem Episcopum Reatinum lata fuit sententia publicè, seruato iuris ordine penultima die mensis Nouembris Anno Dominicæ Incarnationis M. CCC. XXVIII. sicut in transumpto sententiæ pleniùs legimus contineri. Præfatus itaque Frater Petrus Raynalucij de Corbario, à Patre suo rustico, & paupere, sic cognominatus, postquam fuit per dictum Ludouicum Bauarum inthronizatus in vrbe, sicut præmissum est, stetit in eadem vrbe Romana à Calendis Maij vsque ad quartam diem sequentis mensis Augusti, cum eodem Bauaro, qua die idem Bauarus compulsus vrbem exiuit cum suo Antipapa, gressus suos ad ciuitatem Viterbiensem tanquam fugi-

tiui pariter dirigentes. Tandem per maritima cum multis infortuniis ad Ciuitatem Pisanam peruenerunt, receptique fuerunt à Pisanis; vbi dictus Petrus Antipapa resedit; & curiam suam tenuit in palatio Archiepiscopali, donec prædictus Bauarus ciuibus Pisanis odiosus effectus inde exiuit. Qui ibidē dimisit Vicarium, qui loco sui quendam Tarlatum nomine, qui post recessum dicti Bauari, de ciuitate Pisana, callidè cogitans sibi appropriare dominium ciuitatis, de voluntate ciuium Pisanorum; qui erant de tyrannide Bauari grauati multipliciter & afflicti, cępit tractare de pace, cùm potestate, Ecclesiis & ciuibus Florentinis, & tunc dederunt cōmeatum predicto Petro Antipapæ vt inde recederet; & abiret. Cúmque peteret à prędicto Tarlato vt sibi prouideret de securo conducto, donec peruenisset ad Bauarum qui adhuc erat in partibus Lombardiæ, negauit Tarlatus, & tunc prædictus Antipapa secretiùs dedit se ipsum in manibus Bonifacij Comitis Nouelli de Donairatico Pisani, & ipse Bonifacius fecit eum de nocte occultè duci cum quodam suo Anticardinali fratre Paulo de Ordine fratrum Minorum,
ad

ad vnum castrum suum in maritima, quod vocatur, castrum de Vrgari, quod distat à Ciuitate Pisana per 35. milliaria, vbi cum prædicto Paulo Anticardinale occultus latuit circiter per tres menses. Verùm cùm ciues Florentini quacunque ex causa duxissent exercitum gentis suæ versùs partes illas, dubitans & timens dictus Bonifacius Comes, ne hoc facerent vt prædictum Antipapam scirent ibi latere, & quærerent ipsum Antipapam habere, fecit eum quantò potuit occultiùs reduci ad domum suam in Ciuitate Pisana, vbi tenuit eum absconditum & occultum vsque ad quartam diem mensis Augusti sub Anno Domini, M.CCC.XXX. Dum autem sic teneretur occultus per dictum Bonifacium, per quandam personam cœpit paulatim negotium detegi, & secretiùs illis qui erant pro parte Ecclesiæ reuelari, & de manu Episcopi Lucani actum fuit cum præfato Bonifacio multis modis, vt ipsum detegeret, & redderet. Qui à principio negauit penitus se ipsum eundem habere: sed tandem post multos tractatus habitos cum eodem & amicis suis, expositis sibi malis, & periculis, quæ nisi ipsum detegeret, & redderet,

sibi & suæ domui imminebant, saniori vsus consilio acquieuit ipsum reddere, & intimauit Domino Papæ, se eundem Papam redditurum iuxta suum beneplacitum & mandatum. Et tunc Dominus Papa per certum nuntium suas transmisit litteras Apostolicas Archiepiscopo Pisano, & præfato Episcopo Lucano, quatenus dictum Papam reciperent à Bonifacio supradicto ; & si certos articulos in litteris Apostolicis expressos abiuraret, & vellet redire ad Ecclesiæ vnitatem, ipsum possent absoluere à sententiis excommunicationum quibus erat ligatus; quod & factum fuit. Sicque fuit positus in galea in portu Pisano, & traditus clerico Domini Papæ ad hoc destinato cum pluribus armatis, & conducto securo in vigilia B. Dominici, Anno Domini, M. CCC. XXX. sicque deductus est tam per mare vsque Massiliam, quàm per terram, & per Prouinciam Prouinciæ transeundo errores suos in villis publicè recognoscendo, vbique autem in toto itinere ab omnibus populis in villis & ciuitatibus maledicebatur eidem Antipapæ. Perductus est igitur prædictus Antipapa anno, & mēse immediatè pręscriptis apud Auc-

nionem ad præſentiam Domini Ioannis Papæ XXII. & Cardinalium, & coram eodem Summo Pontifice, & Cardinalibus publicè in conſiſtorio pluribus aſtantibus confeſſus eſt, & recognouit in iudicio ore proprio & in ſcriptis, & etiam cum publicis tabellionum inſtrumentis errores ſuos deuios, in quibus inciderat. Quos vt propriùs explicemus verbis confeſſionis ſuæ vtentes in ſequentibus duximus explicandos, non ad ſequendum eos, ſed magis ad abhorrendum, ad præcauendum futuris temporibus cunctis fidelibus, prout ex litera Apoſtolica ſub vera Bulla plumbea Prælatis directa eos colligimus, & videmus contineri, quibuſdam paucis verbis deciſis ſtudio breuitatis.

Confeſſio Antipapæ.

IN nomine Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus ſancti.

Quoniam iuxta doctrinam ſapientis ocultanti ſcelera ſua denegatur directio, purè autem confitenti, & ea penitus deſerenti eſt miſericordia repromiſſa. Id-

circo Ego Frater Petrus de Corbario, de Ordine Fratrum Minorum, sceleratissimus peccatorum, hoc considerans, & attendens, volens in viam veritatis quam iniquè deserui, dirigi, & misericordiam, & gratiam inuenire: Quamuis nuper Pisis existens coram Reuerendis Patribus Domino Simone Archiepiscopo Pisano, & Domino Guillelmo Episcopo Lucano, & discreto viro Magistro Raymundo Stephani Clerico Papalis Cameræ, & Apostolico Nuntio præsentibus multis Prælatis aliis ac religiosis & nobilibus ac popularibus Ciuitatis Pisanæ, errores meos, & scelera spontaneè cum vrgenti cordis amaritudine confessus fuerim, & à præfatis Archiepiscopo & Episcopo auctoritate Apostolica per literas Apostolicas patentes eis in hac parte concessa, recepta priùs confessione mea, & abiuratione errorum meorum, & præstito iuramento de stando & parendo mandatis Apostolicis beneficium absolutionis habuerim ab omnibus sententiis iuris, & hominis. Nihilominus tamẽ adhuc errores meos & scelera mea, in præsentia sanctitatis vestræ Domini Ioannis suprema prouidentia, & clementia Summi Ponti-

Summa prouidẽte clemẽtia.

tificis, veri, & vnici Domini noſtri Ieſu Chriſti in terris Vicarij, ac Eccleſiæ Sacroſanctæ Catholicæ, & in præſentia ſacri veſtri Collegij Dominorum Cardinalium conſtitutus intendo, & volo recognoſcere, & abiurare errores meos, & alia facere quæ veſtra Sanctitas duxit ordinandum. In primis itaque confiteor, & cum ingenti amaritudine animi recognoſco, quòd cùm ſeductor ille Schiſmaticus, & hæreticus manifeſtus Ludouicus de Bauaria, dudum iure, ſi quod ſibi quæſitum fuerat ex electione diſcordi de ipſo in Regem Romanorum celebrata, iuſtè priuatus fuiſſet per ſedem Apoſtolicam, & eandem Sanctitatem veſtram, ac vt hæreticus & fautor hæreticorum notatus de multis hæreſibus, & fautoriis hæreticorum, ac ſchiſmatibus condemnatus, ad vrbem Romam imbutus diabolico ſpiritu perueniſſet. Religioſus vir Miniſter Romanæ Prouinciæ Ordinis Fratrum Minorum, ac Dominus Ioannes Dei gratia ſancti Theodori Diac. Cardinalis, Sedis Apoſtolicæ, & Sanctitatis veſtræ Legatus, & maiori obſeruatione interdicti, cui erat tũc ſãctiſſime Pater per vos ſuppoſita vrbs prædicta, eiuſdem

Duxerit ordinanda.

Pro maiori.

Ludouici aduentu percepto, mihi & aliis Fratribus in eadem vrbe morantibus sub virtute obedientiæ * exiremus. Ego infœlix peccator præceptis huiusmodi non obstantibus in eadem vrbe præsente dicto pessimo hæretico & Schismatico Ludouico, & assistentibus ei pluribus aliis schismaticis condemnatis, & reprobatis per Sanctitatem vestram, & Ecclesiam sanctam Dei, pertinaciter remanere præsumpsi, & in ea licèt esset iustè & sanctè per vos ecclesiastico interdicto supposita celebraui diuina sæpius, immò quantum in me fuit veriùs prophanaui. Deinde cùm idem perfidus Ludouicus datus in sensum reprobum, se de facto fecisset Imperatorem Romanis perfidis coronari, & contra vos, Beatissime Pater, diabolicam, & iniquissimam depositionis, imo verò abusionis promulgasset sententiam, & processus diuersos, falsos, & temerarios, & iniustos, meque ad quorundam infidorum Principalium Romanorum Clericorum, & Laicorum instantiam eius sequacium vnà cum certis de Clero, & populo perfidis eius complicibus, & fautoribus ad hoc secum vocatis in Papam & Summum Pontificem,

* Ex excō-municationis pœnas quas non pa-[illegible] ipso facto [illegible] re-[illegible] pu-[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

A certis

immo veriùs Antipapam damnatum, & peſtiferum elegiſſet. Ego miſer inductus, imo ſeductus fui ſuis & multorum tam Clericorum, quàm Laicorum eius fautorum & ſequacium dictæ vrbis precibus, & importunis & pernicioſis inſtantiis ac infeſtis, falsò & erroneè aſſerentium, quòd Papã Imperator deponere poterat, & loco depoſiti aliũ ordinare; & quòd per conſequens eidem hæretico, & ſchiſmatico Ludouico, qui tunc in futurum & falſum Imperatorem & denuò ſe coronari de facto fecerat, & vos Pater Beatiſſime, abuſiuè depoſuerat, hoc licebat via ſuperbiſſima, elatione more Luciferi, ambitionéque damnabili nihilominus exſequutus huiuſmodi electioni tam nefandæ, quàm reprobę, imo nullì malitioſè conſenſum meum temerarium, & omni pœna digniſſimum non erubui adhibere; ac ſubſequenter conſecrari, imo execrari ab hæretico, & ſchiſmatico Iacobo dudum Caſtellano Epiſcopo excommunicato & depoſito, & coronari à dicto Ludouico de Bauaria hæretico me permiſi, licèt ad eum etiam, ſi verus Imperator exiſteret, ſicut re vera non erat, egóque verus eſſem Papa, ſicut in veri-

Perurgentibus

Execratus.

tate non eram, ſed Antipapa potiùs ſchiſmaticus & hæreticus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item quod Cardinales, imo veriùs Anticardinales, & omnes Officiales, quos verus Papa eſt habere ſolitus, de facto ordinare præſumpſi, Bullamque more Papæ, licèt eſſem reprobus & damnatus, fieri feci, & habui, eáque falsò vſus fui temerè, & iniquè. Et vt ſtatum meum prauiſſimum, & Ludouici prædicti damnati, ac falſas opiniones hæretici, & ſchiſmatici Michaelis de Ceſena dudum Miniſtri Generalis Ordinis fratrum Minorũ; ſcilicet, quod Chriſtus & eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe dicuntur, non habuerunt niſi tantùm vſumfructum ſimplicem: poſſem fortius & promptius ſtabilire, Dei amore poſtpoſito extendens ad omnia illicita manus meas, proceſſus & depoſitionis ſententiam Ludouici prædicti hæretici manifeſti contra vos Beatiſſime Pater, habitam, & etiam fulminatam, ſuplens omnem defectum ſi quis eſſet in ipſis, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, non ſolùm illos confirmare, & mei ſcripti communire patrocinio non erubui, ſed etiam denuo ſententiare, pro-

Vbique.
Ob.
Facti.
Seminaſſe.

nunciare, declarare, & prædicare publicè omnia ſingula in proceſſibus promulgata præſumpſi. In quibus quidem proceſſibus Ludouicus prædictus pronuntiabat, & declarabat fore hæreticum, & ſcripturæ ſacræ contrarium dicere, quòd Chriſtus & Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, habuerunt aliud quàm ſimplicem vſum facti: ex qua quidem pronuntiatione euidenter concluditur, ipſum, & me etiam ex confirmatione, pronuntiatione, & prædicatione prædictis, in damnatam hæreſim per conſtitutionem vestram Apoſtolicam, & fratrum veſtrorum promulgatam conſilio incidiſſe. Et nihilominus aduerſus Reges, & Principes meas litteras deſtinaui, per quas ad eorum notitiam deducebam quomodo vos, Pater Beatiſſime, cui multa falſa, hæretica, & erronea, in eiſdem litteris imponebam, ſuggerentibus dictis hæreticis ſceleratis, Ludouico ac Michaele, ac iuxta votum ſuum ordinantibus, per eundem Ludouicum ac per me fueratis depoſitus, & ſententialiter condemnatus, eoſdem Reges, & Principes, exhortando nihilominus, & rogando, quòd vobis tanquam Papæ non parerent in ali-

Poſt.

Addiuerſos.

quo, nec fauores aliquos exhiberent, ſed contra vos potius, mihi & dicto Ludouico præberent auxilium & conſilium & fauorem. Nec his contentus tam in vrbe quàm in pluribus ciuitatibus, & locis aliis Clericos Sæculares & Regulares compuli, vt non obſtante interdicto cui per vos, Sanctiſſime Pater, erant ſuppoſita loca ipſa, in eiſdem celebrarẽt, immo verius quantum erat in me prophanarent diuina. Tallias quoque in Eccleſiis impoſui, tam in vrbe, quàm alibi, pro quibus calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus aliis ipſas Eccleſias ſpoliaui. Fideles inſuper Prælatos nonnullos ac alios clericos, in dignitatibus, & beneficiis aliis eccleſiaſticis, conſtitutos ſuis priuaui prælationibus, dignitatibus & beneficijs alijs eccleſiaſticis in illis præficiendo vel hæreticos, vel ſchiſmaticos, vel eorum fautores, & plerumque non abſque Simoniaca prauitate; quibus etiam, illis ſcilicet, quórum hæc prælatio requirebat de facto, cùm de iure non poſſem, per me vel per alium munus conſecrationis, immo verò execrationis impendi. Contra fratres quoque Minores non parentes Michaeli prædicto, tanquam Generali Miniſtro, qui cùm depoſitus erat in-

ſtè, & condemnatus de hæreſi, hæreticus, ac ſchiſmaticus declaratus, & alius per Capitulum generale concorditer aſſumptus, & contra ſeruantes interdicta, per vos vel Legatos, ſeu Officiales veſtros alios promulgata, vtroque ſpirituali videlicet, & temporali gladio procedere non expaui. Eidem Michaeli, & ſequentibus ſuis hæreticis & ſchiſmaticis impertiendo iniuſtè & temerè auxilium & fauorem. Indulgentias inſuper, & diſpenſationes, Sedi Apoſtolicæ reſeruatas concedendo de facto, & etiam faciendo. Nonnullis quoque qui pro Pontificibus ſe gerebant, cõmiſi vt ſacros Ordines celebrarent, in quibus Ordinibus plures, vt credo, ad ſacros Ordines promouerunt temerè, cùm eis virtute præfatæ licentiæ nõ liceret. De Patrimonio quoque Beati Petri in nonnullis locis ad tempus, & interdum in perpetuum diſponere non expaui. Hæc omnia, & plura alia contra Deum & ſanctam Catholicam Eccleſiam ac vos Beatiſſime Pater, verum & vnicum Ieſu Chriſti Vicarium recognoſco, & confiteor nulla fore, caſſa, & inania, velut ab illo cui non competebat ius fa- Quodq;
ciendi, attentata quoque quantum ad Quatenus pro-
ne ſpectare poteſt, quæ præceſſerunt de ceſſerũt.

facto reuoco, & nulla fore & fuisse pronuncio, & declaro. Confiteor insuper me credere & tenere fidem illam, quam Sancta Romana Ecclesia tenet, ac vos, Pater Beatissime, tenetis, prædicatis, atque docetis. Post hæc autem facta confessione prædicta in iudicio, abiurauit omnes & singulos errores, articulos erroneos supradictos, & præsertim, & singulatim, & iurauit parere mandatis Ecclesiæ vnitati à quà deuiauerat, & Domini Papæ petens misericordiam, & absolutionem à vinculis excommunicationum, & reintegrari Ecclesiæ vnitati, à qua deuiauerat, fuitq; per eumdem Dominum Papam absolutus, & reintegratus Ecclesiæ vnitati, reseruata ordinatione & declaratione pœnitentiæ sibi iniunctæ de præmissis, de quibus & singulis fuerunt ad æternam rei memoriam facta publica instrumenta. Datum Auenione VIII. Idus Septembris, Pontificatus prefati Domini Nostri Papæ Anno XV. Dominicæ Incarnationis M.CCC. XXX. Quibus peractis præfatus Petrus fuit clementer, & misericorditer susceptus ad pœnitentiam, positus in decenti custodia ad cautelam, vt probar tur an ambularet in

Expressim.

tenebris, vel in luce, Ibique hodie quæ hæc ſcripſimus, tractatur vt familiaris, ſed cuſtoditur vt hoſtis.

Ex MS. Bibliothecæ Fuxenſis, cui Inſcriptio. Geſta quorundam Pontificum Aquitaniæ. Idem liber manu exaratus habetur in Bibliotheca Regia, ad calcem Chronicæ Victorianæ quæ Memoriale Hiſtoriarum inſcribitur, ex illis geſtis & alijs Pontificum vitis ad Paulum II. collectus ab incertis auctoribus.

BENEDICTVS XII.

BENEDICTVS Papa XII. natione Toloſanus de loco de Sauarduno, Dioceſis Riuenſis oriundus, poſt dictum Ioannem Papam XXII. immediatè fuit electus in Papam in Auenione die XVI. menſis Decembris. Anno Domini M. CCC.XXXIV. die verò XX. fuit coronatus. Hic prius fuit vocatus IacobusFurnerij, aliàs cognominatus, Nouelli, qui in iuuentute ſua ſub habitu regulari, & mo-

Codex Regius habet Samardino.

C R. Apamiarũ dioceſis.

C R Nouellus.

nastico decreuit Domino famulari, fuitque receptus & indutus in monachum in monasterio Bolbonensi Ordinis Cisterciensis DiœcesisMirapiscensis. Vbi postquam edoctus fuit in regularibus obseruantiis & claustralibus disciplinis, diutius circa studia literarum insudauit tam Parisiis quàm alibi permanendo. In quibus adeò profecit, quòd tandem fuit effectus sufficiens, & notabilis Magister in sacra Theologia, deinde primò ad Monasterium Fontisfrigidi Diocesis Narbonensis, secundò ad Appamiarum, tertiò ad Mirapiscensem fuit promotus Ecclesias. Demum verò per dictum Ioannem PP. XXII. ordinatus extitit in presbyterum Cardinalem, habuitque titulum sanctæ Priscæ, & exinde fuit, vt præmittitur, electus in Papam, seditque annis septem, mensibus & diebus xv. Hic Decretalem condidit quæ incipit, Benedictus Dominus Deus in donis suis: ad decisionem quæstionis inter Theologos diutiùs agitatæ de Dei faciali visione, sanctorum, & aliorum beatorum, ante diem iudicij, quam dictus Ioannes PP. XXII. prædecessor suus morte præuentus non determinauerat, licèt hoc facere disposuisset.

Vnde declarauit idem Benedictus Papa quòd animæ Sanctæ non egentes purgatione ſtatim faciem Dei vident, mandans ſub pœna anathematis ac incurſionis hæreſis, ne quis contra huiuſmodi determinationem ſuam dogmatizaret, aut crederet. In Conſiſtorio etiam publico primo vel ſecundo quod tenuit, reuocauit omnes Commẽdas factas per prædeceſſores ſuos de Eccleſiis Cathedralibus, & Abbatiis, quibuſcumque perſonis, Cardinalibus & Patriarchis dumtaxat exceptis. Hic etiam Papa in ſui Pontificatus principio miſit nuncios ſuos ad Ludouicum Ducem Bauariæ, rebellem, & inobedientem Romanæ Eccleſiæ, occupatorémque Imperij, qui ipſum monerent & exhortarentur ſui parte, ab inceptis, & attentatis deſiſtendo, ad dictæ Eccleſiæ obedientiam humiliter redire vellet; credens & ſperans erga eum tali modo plus proficere, quàm ſi continuaret proceſſus contra ipſum inchoatos per dictum Ioannem Papam XXII. prædeceſſorẽ ſuum. Tamen nec ſic cum ipſo profecit, cùm induratus etiam pertinax permanſerit, ſicut prius: non tamen aliter Papam perſecutus eſt, nec etiam Papa ipſum, ſed ſic

C.R. Cathedralib⁹ & Abbatiis dũtaxat exceptis.

in tali quali quiete ſuo tempore remanſerunt. Ipſe etiam Papa eodem tempore deliberauit transferre Curiam ſuam ad partes Italiæ, morámque ſuam facere in Ciuitate Bononienſi, dummodo ipſum debitè & honorificè eius incolæ & ciues vellent recipere, & tractare, ſibíque obedientiam parare, & fidelitatem ſeruare. Et hoc ipſe dixit in publico Conſiſtorio, voluítque vt diuulgaretur, & publicaretur vbique, & præſertim in partibus Italiæ ſupradictis. Volenſque experiri, & ſcire, an ita facere vellent, miſit ad dictam ciuitatem certos Nuntios ſuos ad eis intimandum huiuſmodi intentionem, & deliberationem ſuam: deditque eis in mandatis, vt ſi ipſi viderent dictorum ciuium voluntatem conformari pro manſione ſua, ibi palatium præpararent, libratasq; pro Cardinalibus diuiderent, & ordinarent. Nuntij verò huiuſmodi illuc accedentes inuenerunt prædictam adhuc malè fore diſpoſitam, cùm adhuc ciues ipſius eſſent in rebellione, & in inobedientia contra Romanam Eccleſiam, prout etiam tunc erant ferè omnes aliæ terræ ad eandem Eccleſiam in illis partibus pertinentes, quæ non diu ante, ſcilicèt

tempore

tempore Ioannis Papæ XXII. ſuum Legatum vituperosè & violenter expulerant de ciuitate memorata. Quod dicti Nuntij videntes redierunt Auenionem, Papæque retulerunt, qui de hoc doluit, ſed videns quòd tunc aliud facere non poterat, mutato propoſito deliberauit permanere Auenione cum dicta curia ſua. Incœpitque ibi à ſolo ædificare palatium in loco vbi tunc erat domus Epiſcopalis, & tandem huiuſmodi ædificium quaſi quamdiu vixit continuauit, in tantum quòd ſuo tempore, & per eius miniſterium factum eſt dictum Palatium valde ſolemne, miræque pulchritudinis in manſionibus, miræq; fortitudinis in muris & turribus, prout hodie luculenter apparet. Demum pro tempore ordinauit, quòd Epiſcopus Auenionenſis haberet pro manſione ſua, ac in recompenſam alterius in cuius loco, & ſolo dictum Palatium erat ædificatum, domúmque nunc Epiſcopalem appellant, quæ eſt valde notabilis & ſolemnis, Monaſteriũ etiam Bolbonenſe in quo, vt præ[...]citur, priùs monachus extiterat, magnis & altis mu-s claudi, & circui fecit, cum ſuis magnis mptibus & expenſis. Eccleſiam inſu-

per Beati Petri de vrbe pro tunc in tectis valde demolitam, & destructam fecit miro & sumptuoso opere reparari, prout ad eius perpetuam memoriam in ea litteris grossis & patentibus scriptum reperitur. Eodem tempore scilicet in Autumno, circa festum Apostolorum Simonis & Iudæ, insurrexit subitò tam validus & fortis ventus in diuersis mundi partibus, quòd multam domorum fecit ruinam, tecta etiam plumbea Ecclesiarum & domorum diuersarum ad magnam distantiam asportauit, quod multis attulit stuporem pariter, & timorem. Item Philippus Rex Franciæ iam diu deliberauerat cruce signari, faceréque passagium generale versùs partes vltra marinas, pro recuperatione, & acquisitione terræ Sanctæ, miseratque ad Ioannẽ Papam XXII. Nuntios suos solemnes, tam sui parte ista sibi intimandum, & nihilominus petendum ab eo subsidium decimarum Regni sui: quod post multas instantias dictus Papa sibi concesserat, & quia dictum passagium non habuit effectum, dictus Benedictus Papa concessionem decimarum huiusmodi reuocauit. Propter quod dictus Rex ad ipsum venit personaliter cum filio suo primogenito Ioanne Duce Nor-

nanniæ, causa ipsum visitandi circa re-
uocationem prædictam: sed satis citò de-
num contigit quòd dictus Rex occupa-
uit seu ad manum suam recepit Ducatum
Aquitaniæ, cuius superioritas seu Do-
minium Ducatus ad ipsum spectabat, te-
nebatúrque in feudum ab ipso per Re-
gem Angliæ, qui eo tunc ipsum pro ma-
iori parte possidebat, cuius occasione fuit
orta guerra inter ipsos Reges, videlicet
Dominum Philippum Regem Franciæ,
& Odoardum tunc Angliæ Reges; pro-
ter quod dictum Passagium vltra mari-
num conceptum, & ordinatum per di-
ctum Philippum Regem Franciæ, vt di-
ctum est, potissimè fuit impeditum & tur-
batum. nam idem Philippus voluit plus
intendere ad dictam guerram perse-
quendam, quàm ad dictum passagium fa-
ciendum: suspicans & verisimiliter du-
bitans quòd si ipse se à regno suo tam in
longinquum absentaret, dictus Angliæ
suus inimicus regnum suum inuaderet, &
damnificaret, & sic reuocatio prædicta in
suo robore permansit. Per idem insuper
tempus orta huiusmodi guerra inter Re-
ges memoratos, dictus Odoardus Rex
Angliæ intrauit Alamanniam, venitque

C.R. per dictũ Ioãnẽ vt.

in Frankford oppidum Imperiale ad dictum Ludouicum Ducem Bauariæ, petens ab eo auxilium & iuuamen cōtra dictum Philippum Regem Franciæ, fuerúntque ad inuicem contra dictum Philippum confœderati, & colligati, dictúsque Ludouicus qui licèt se falsò gerebat pro Imperatore talémque se nominabat, ipsum Regem Angliæ quantum in ipso fuit & constituit Vicarium Imperialem in partibus Italiæ, & nonnullis aliis terris. Cuius occasione & prætextu idem Rex Angliæ Cameracensem Ciuitatem quæ est Camera Imperij, voluit intrare, sed negato sibi aditu eam obsedit, ciuibus tamen eiusdem sibi viriliter resistentibus, oportuit quòd abinde discederet confusus. Eodem etiam tempore dictus Ludouicus Raynaldum tunc Comitem Gueldriæ in Ducem, & Guillelmum tūc Comitem Iuliacensem in Marchionem sublimauit. Cùm autem ad notitiam dicti Benedicti Papæ peruenisset, quòd guerra inter ipsos prædictos Reges crescebat, & continuè inualescebat, damnaque quam plurima hinc inde inferebantur circa ipsorum pacificationem, proût etiam suo statui congruebat, partes suas interponere decreuit, destinauitque ad

C R talē tamen se

C. R. in partibus Galliæ.

ipſos cauſa tractandi, ac ineundi pacem & concordiam inter eos, ſuos nuncios legationis officio fungentes Dominos Petrum Gomecij Hiſpanum titulo ſanctæ Praxedis Preſbyterum, & Bertrandum de Montefauentio ſanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinales: qui per dictum Regem Franciæ in regno ſuo fuerunt honorificè recepti, & generosè, ac fauorabiliter tractati: regnum autem Angliæ per eius Regem intrare nullatenus ſunt permiſſi; ſed per mare idem Rex ſuos miſit Nuntios, qui cum eis loquerentur, & tractarent vice & nomine ſuis, ſuper pace & concordia memoratis. fuerúntque in variis locis & terminis ad hoc ordinatis & procuratis per medium & miniſterium Cardinalium prædictorum multa prolocuta, & tractata inter ipſas partes; ſed tandem Domino ſic permittente effectus fuit nullus, cùm nullatenus potuerint viam conuenientem inuenire, per quam partes prædictæ voluerint ad pacem inclinari, ſicque poſt labores multos * ad dictum Papam Cardinales prædicti ſuper illis pro quibus miſſi fuerant ſatis cum modico fructu, ſaltem quoad firmam pacem, aut concordiam

C.R. Bernardum.

C.R. citra mare.

* C.R. moramque diuturnâ redirent.

duraturam: fecerunt tamen dicti Cardinales per idem tempus opus ad idem laudabile & memoria dignum. Primus enim Bastitam quæ Hispaniæ appellatur, secundus etiam aliam satis illi cõtiguam, quæ de Montefauentio nuncupatur prope Auenionem de bonis à Deo eis datis à solo ædificauerunt: in quibus sunt mansiones pulcherrimæ, & omni amœnitate decoræ, habentque viridaria, vineas, & pascua, & alia delectabilia infinita, quæ potiùs fecisse & ordinasse censentur pro animarum suarum salute, quàm complacentia corporali. Primus enim in sua instituit Conuentum notabilem Dominarum sub regula, seu ordine Prædicatorum degentium, pro quarum & certorum Fratrum eiusdem Ordinis eis assistentium sustentatione bona, & sufficienti, redditus & prouentus circumquaque acquisiuit, earúmque vsui deputauit, voluitque in Ecclesia valde solenni ibidem ædificata finaliter tumulari. Secundus verò in alia certum numerum Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini instituit, pro quorum sustentatione conuenienti emit redditus, & prouentus complures, & multa alia suă bona disposuit & ordinauit, elegitque etiam in Ec-

C.R primo enim Basilicã quæ nũcupatur Auenionensis.

cleſia ibidem fabricata poſtremò ſepeliri. Eodem etiam tempore fuit ædificata, fundata, & dotata Eccleſia Collegiata Beatæ Mariæ Villæ nouæ prope Auenionem, per Dominum Arnaldum de Via ſancti Euſtachij Diaconum Cardinalem, qui etiam ibi inſtituit certum numerum Canonicorum, & Decanum qui ipſis præſideret, voluitque quòd collatio præbendarum alternatis vicibus ad Regem Franciæ pertineret. Dicto etiam durante tempore ſurrexit quidam in partibus Alamanniæ, qui adunata ſibi multitudine ruſticorum, Iudæos quoſcumque reperire poterat, trucidari ordinabat, ſub colore zeli fidei Chriſtianæ. Sed demum hic in perniciem & damnum Chriſtianorum redundare cœpit, nam etiam tales ſic coadunati in Chriſtianos ſæuire tentarunt. Propter quod fuit eis obuiatum, & præſertim per Ludouicum Ducem Bauariæ memoratum, qui licèt aliàs eſſet admodum peruerſus, prout ſua facta demonſtrant, tamen in hoc bene egit; procurauit namque, & operatus eſt, quòd Capitaneus ſeu ductor prædictorum occiſus eſt, & ſic demum illa congregatio diſperſa, & confuſa diſparuit.

Ad dictum Papam venit Auenionem Petrus Rex Aragonum, fecitque ei homagium, & præstitit iuramentum fidelitatis in forma debita pro Regno Sardiniæ quod tenet in feudum ab Ecclesia Romana. fuítque idem Rex honorificè receptus per dictum Papam, licèt die introitus sui in Curia incendium magnum fuit in coquina vbi parabantur cibaria pro prandio dictorum Papæ, Regis, & Cardinalium, prout est fieri consuetum. Sed hoc non obstante omnia fuerunt benè disposita & parata, sic, & taliter, quòd omnes remanserunt bene contenti. Venit etiam cum dicto Rege qui satis iuuenis erat, Iacobus Maioricarum, qui quasi dicti Regis pro tunc regimen, & gubernationem habebat, saltim quoad personam. Tempore etiam istius Papæ Alfonsus Rex Castellæ condicto prælio contra Regem Marrochiæ Sarracenum & infidelem triumphauit, & in signum victoriæ vexillum seu banderiam dicti Regis victi vnà cum sua eidem Papæ misit, quæ vsque ad longa tempora demum in capella Papali appensa permanserunt. Item anno Domini M.CCC. XXXVI. die quarta mensis Iunij obiit Dominus Frater Guillel-

mus Petri de Guoderio, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis, qui diu fuerat Legatus in Hiſpania, vbi multa bona & ſalubria ordinauit, conſtitutionéſque fecit quamplurimas, præſertim contra Concubinarios Eccleſiaſticos, qui pro tunc erant in illis partibus infiniti. Hic quamquam eſſet modicæ, immò quodammodo deformis ſtaturæ, fuit multùm litteratus & cordatus ac virtuoſus in omnibus factis ſuis, deditque ſibi etiam Deus multa bona temporalia de quibus fecit opera mirabilia quæ ſequuntur. Conſtruxit enim tres Eccleſias miræ pulchritudinis, adeò quòd Ordo ſuus nõ creditur habere pulchriores & ſolemniores vbicumque, videlicet vnam in Conuentu Auenionenſi, aliam in Conuentu Toloſano in qua iacet tumulatus, & aliam in Conuentu Baionenſi vbi fuerat veſtitus & educatus. fecit etiam tam in dictis Conuentibus, quàm in aliis dicti Ordinis multa alia bona admodum commendabilia & memoria digna. Item tempore dicti Papæ, videlicet Anno Domini M.CCC.XXXVII. die tertia menſis Iunij Venetiis fuit tanquam Hæreticus condemnatus brachio- CR Petri de Godeno.

que sæculari traditus, & deinde crematus igne Frater Franciscus de Pistorio Ordinis Minorum, pro eo quòd pertinaciter asserebat, quòd Christus & eius discipuli nihil habuerunt in proprio, nec in communi, cuius contrarium determinauerat Ioannes Papa XXII. in constitutione quæ incipit, Cum inter nonnullos. Dictus Summus Pontifex Benedictus multum fuit curiosus & intentus tempore suo circa reformationem Ordinis & status Monachorum Nigrorum, & Cistercensium, qui prout sibi videbatur in multis erant laxati & collapsi. Deputauítque certos valentes & notabiles Religiosos, tam Abbates quàm alios in Theologia & Iure Canonico Doctores, qui de mandato suo vt plurimum Cœnobia seu Monasteria dictorum Monachorum vbique visitarunt, informaueruntque se, quomodo & qualiter se gerebant, ac in quibus deficiebant. Qui huiusmodi informationem suam eidem Papæ retulerunt ea in quibus ipsos defectuosos inuenerant, ac in quibus reformatione indigebant: qui eorum informatione tradita & recepta, habita tamen informatione matura circa ordinem &

C.R. deliberatione matura.

ſtatum Monachorum prædictorum, certas edidit conſtitutiones, quas pepetuò & inuiolabiliter per eos voluit & præcepit obſeruari. Et inter cætera ſtatuit quòd in ſingulis Prouinciis quas in ſuis Conſtitutionibus nominauit, & limitauit, de triennio in triennium per Abbates Monachorum Nigrorum earumdem Prouinciarum Concilium Prouinciale celebretur, in quo omnes interſint Abbates cuiuſlibet Prouinciæ, & ibi referantur & audiantur illa quæ concernerent ſtatum ipſorum tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, quod etiam tunc reformentur, ſi, & prout reformatione indigebunt. Item conſtituit quòd de ſingulis monaſteriis, ac Prioratibus Conuentualibus tenentibus certum numerum Monachorum, certi Monachi mittãtur ad ſtudia generalia litterarum cauſa & diſcendi: & quod eis in libris, victu, & veſtitu de prouentibus dictorum Monaſteriorum, vel Prioratuum certo per ipſum limitato modo & ordinato prouideatur. Item voluit, conſtituit, & ordinauit, quòd annis ſingulis Ciſtercij celebretur Capitulum generale, in quo omnes Abbates eiuſdem Ordinis per ſe vel

procuratores suos teneantur interesse, in quo reformentur reformanda & fiant & ordinentur alia quæ ipsis fuerint necessaria, & opportuna. Item quòd mittantur etiam ad studia generalia litterarum per Abbates suos de quolibet Monasterio certi Monachi, prout de Monachis Nigris ordinauit: voluit tamen quòd tales qui mittentur & ad hoc deputabuntur per ordinem, & expensis eiusdem non in iure Canonico, & multò minus in Ciuili, sed solùm in primitiuis aut Philosophica, seu Theologica facultate studeant; & contra oppositum attentantes excommunicationis sententiam fulminauit, & promulgauit. Item constituit, & etiam ordinauit, quòd ad ordines prædictos venientes de quibuscumque religionibus Mendicantium nullatenus recipiantur, seu admittantur, sine expressa licentia, & dispensatione Papæ, etiam de constitutione sua huiusmodi expressam mentionem faciendo. Item ad comprimendum grauamina quæ inferebantur per Archiepiscopos & Episcopos, ac alios quibus de iure vel consuetudine competit, & pertinet visitare subditos suos Ecclesiasticos, talibus visitatis, in exigendo & le-

uādo procurationes debitas ratione visitationis huiusmodi, constitutionem edidit, in qua procurationes tales in pecunia numerata solui voluit, certo tamen modo limitato & ordinato per ipsum in dicta constitutione quæ incipit, Vas Electionis. Plures etiam alias constitutiones fecit ad reformationem Monachorum diuersorum statuum, & specialiter Curialium, secundùm quod sunt aduocati & procuratores Curiam Romanam sequentes, quæ tanquam extrauagantes manerent in Cancellaria. Florebant isto tempore in Italia, videlicet in studio Bononiensi, primò Ioannes Andreæ Decretorum Doctor eximius, qui librum sextum Decretalium glosauit, & super eo & Decretalibus lecturam vtilissimam fecit, quæ Nouella appellatur, & tandem Clementinas glossauit, & Speculum iuris adornauit. Item Paulus de Lexariis etiam doctor profundissimus Decretorum, qui super Clementinis valde notabilem librum composuit. Item Iacobus de Butrigariis Doctor mirabilis legum, qui in iure ciuili multa notabilia, & profunda scripsit. Citra montes verò Parisius clarebat frater Nicolaus de Lyra Ordi-

C R.morū diuersorum.

C.R. iuris additionauit.

C. R. Paulus de Lazanis.

C R de Lyra Normanus.

nis Minorum Magister in Theologia profundissimus, qui totam Bibliam profundissimè, & subtilissimè postillauit. Item Tolosæ Guillelmus de Montelauduno Abbas Monasterij noui Pictauensis, Doctor elegantissimus Decretorum, qui super Clementinis lecturam perutilem composuit. Item in Montepessulano Gencelinus de Cassanhis Doctor notabilis Decretorum, qui super Clementinis scripsit notabiliter, & Extrauagantes Ioannis XXII. glossauit. Ad dictum Papam Præfatus Odoardus Rex Angliæ orta iam guerra inter ipsum & Philippum Regem Franciæ memoratum, misit certos Nuntios qui Auenioni existentes, de nocte clam & occultè fuerũt capti per certos Officiarios dicti Regis Franciæ, & vltra Rhodanum ad partes Regni Franciæ, captiui adducti, scientibus, consentientibus, immò etiam fauentibus aliquibus Officialibus Papæ, & specialiter Marescallo suo. Quod cùm ad notitiam ipsius peruenisset, sibi summè displicuit, reputans se ex eo offensum, cùm Curia Romana debeat esse omnibus communis & secura, & ob hoc pro honore sui iuris dictæ Romanæ Ecclesiæ con-

C R. eodem tẽpore ad dictum.

ſeruatione, ſtatim fulminauit ſententias, ſuóſque fecit proceſſus contra captiuatores,& detĕtores dictorum Nuntiorum, ſuppoſuit eccleſiaſtico interdicto omnia loca in quibus eſſent,aut ad quæ eos contingeret declinare, ſicque viriliter in hoc proceſſit, quòd infra paucos dies Nuncij prædicti deliberati fuerunt, & Auenionem reducti. Ipſe etiam volens de ſuis qui in hoc delinquentes extiterant iuſtitiam facere : omnes illos qui de eo fuerunt culpabiles inuenti, duris carceribus fecit mancipari, ſtatui, ſeu conditioni nullius deferendo, quorum aliqui demum fuerunt ante valuas hoſpitij à quo dicti Nuntij fuerant extracti, ſuſpenſi, alij verò alibi, ſeu aliàs trucidati,& idem, vt dicitur, fieri mandauerat de dicto ſuo Mareſcallo, ſed in carcere detentus præ nimio dolore præmortuus eſt, ſeipſum interimendo,fuitque palam publicè lata ſententia contra ipſum iam mortuum, tanquam culpabilem, decretumque ordinatum vt cadauer ſuum eccleſiaſtica ſepultura careret, fuitque appoſitum in campis in loco vbi apponuntur malefici, incluſum in vna theca lignea inter duas biguas appenſa ad terrorem aliorum. An-

mmo & sanctæ intentionis in omnibus
actis suis: Et in cæteris quantum in ipso
uit dedit operam efficacem, vt in bene-
iciis, dignitatibus, & Prælaturis suo tem-
ore vacantibus ponerentur, & præfice-
entur bonæ, & honestæ personæ, pro-
idæque, & discretæ, ac sufficientes in
iteratura, ac maturæ in moribus, essent-
que ætatis prouectæ, iuxta statum ac cō-
litionem ac qualitatem beneficiorum,
ignitatum, & Prælaturarum, ad quas
el quas essent assumendæ, & in hoc vo-
uit quòd præferrentur meliores & suffi-
ientiores, aliter ad quascumque perso-
as aspectum specialiter non habendo,
in hoc multotiens se decipi formida-
it; & in hoc antequam prouideret de ta-
bus suæ dispositioni reseruatis, inquire-
at summa cum diligentia de meritis &
ufficientia illorum qui ad hoc sibi nomi-
abantur: & cùm eos non reperiebat
ixta gustum suum bene idoneos & suf-
cientes, potiùs volebat quòd vacarent,
remanerent in manibus suis, quàm si
liter prouideret. Propter quod multa
eneficia, dignitates & Prælaturæ quam-
lures diutiùs in vacatione permanse-
ant: dicebat enim quod meliùs & secu-

rius erat quòd vacarent, quàm ſi haberent malos vel minus idoneos præſidentes. Ipſe enim de ſuis conſanguineis vel propinquis exaltandis vel promouendis, nullatenus curauit; non enim inuenitur quòd aliquem de ſuo genere ad quamcumque Prælaturam promouerit, niſi vnum ſolum quem præfecit Eccleſiæ Arelatenſi, qui tamen ad hoc aliàs erat bene dignus & ſufficiens, & hoc etiam fecit quodammodo precibus & inſtantia Cardinalium deuictus. De Laicis verò nullum exaltauit, immo nec voluit, quòd ſtatum ſuum, qui ſatis erat perprius infimus propter ipſum immutarent; vnicam enim neptem quam habebat per plures magnates pro coniugio petitam eis dare expreſsè negauit, dicens in vulgari ſuo, quòd non decebat talem equum hanc habere ſellam, ſed demum ipſam nuptui tradidit filio vnius mercatoris ſimplicis Toloſæ, dotem ſibi ſecundùm ſtatum eiuſdem mercatoris conſtituendo. Fuit etiam multùm cordatus, conſtans & rigidus in euitando illa quæ in offenſam Dei, & animæ ſuæ periculum ſeu damnationem cedere poſſe exiſtimabat, nec ad ea aliquatenus flectebatur. Fertur

C R. pa uus & infimus

enim ipſum dixiſſe Philippo Regi Franciæ memorato, cùm ad ipſum, vt ſupra citatum eſt, venit, eſſentque ambo cauſa audiendi & exponendi illa quæ idem Rex ſecum habebat agere, ac per ipſum fieri petere diſponebat: quòd ſi ipſe haberet duas animas, vnam ſibi libenter daret, & eam pro ipſo exponeret, ſed non habebat niſi vnam, quam vnicè & ſummè diligebat, & eam volebat poſſe tenus conſeruare. Quibus præſuppoſitis & præmiſſis dixit eidem Regi, quòd ſecundùm hoc ſuas petitiones ſic diſponeret, & limitaret, quòd in eis non eſſet aliquid ad Dei offenſam, & per conſequens ſuæ animæ periculum ſeu damnationem tandem videretur, quia ſi ſic eſſet, nullomodo ipſum exaudire intendebat: quod verbum licèt prima facie dicto Regi aliqualiter durum & extraneum extiterit, tamen ipſo bene intellecto & ponderato, ipſum bene gratum habuit, & rationabilem & ſanctum iudicauit, prout etiam in rei veritate fuit. Ipſe inſuper mente, verbo & opere totus intentus extitit ad ea quæ Dei erant poſſe tenus exequenda, non tamen propterea illa quæ etiam mundiale regimen ſibi commiſſum con- C R regnũ ſibi.

cernebant neglexit; immo in ipſis bene & vtiliter agendis, & gubernandis debitâm adhibuit diligentiam, proindeque ſe geſſit nihil de contingentibus omittendo, mundanam pompam, & vanam gloriam in ſe & in ſuis omnino contempſit, ſicque fuit re & nomine Benedictus, inquam à Deo, & Benedictus hoc eſt bene nominatus, & reputatus à mundo, cùm fere omnes ſaltem boni qui in mundo erant de ipſo bene dicerent & exiſtimarent; & meritò, nam ſine cuiuſquam præiudicio loquendo omnes alios ſui nominis qui ipſum in ſtatu Papali præceſſorunt, non reperitur quòd ipſum in meritis exceſſerint, immo nec per ea quæ de ipſis ſcribuntur attigerint, & ſi fas ſit ſcribere poſt martyres, & alios quos Eccleſia veneratur & colit vt ſanctos, inter meliores ipſe vnus fuit, & eſt meritò reputandus. Qui plenus magnis meritis, poſt multáque virtuoſa ac laude digna ſpiritum reddidit Saluatori Anno Domini M. CCC. XLII. Die XXV. Menſis Aprilis, Pontificatus ſui anno VIII. fuitq; ſepultus in Eccleſia maiore Auenioni, in qua adhuc iacet in capella pro ipſo ſpecialiter fabricata, etiam miraculis coruſcando.

CLEMENS SEXTVS.

Ex eiſdem M.S.

CLEMENS, Papa VI. natione Aquitanicus, de loco de Malomonte, diocceſis Lemouicenſis, poſt Dominum Benedictum XII. immediatè fuit electus in Papã in Auenione, die VII. menſis Maij, anno Dñi M.CCC.XLII. & die XIX. coronatus. Hic priùs vocatus eſt, Petrus Rogerij, fuítq; habitu monaſtico indutus in Monaſterio Caſæ Dei in Aluernia diocceſis Claromontenſis Ordinis S. Benedicti, in ſuæ flore iuuentutis, vbi primò edoctus extitit in regularibus obſeruantiis, demum iuit ad ſtudia literarum, in quibus adeò profecit, quòd fuit effectus profundiſſimus, & ſolemnis magiſter in Sacra Theologia. Poſt verò primò ad monaſterium Fiſcanenſe in Normannia, & ab inde ad Eccleſiam Attrebatenſem fuit promotus, de qua demum ſucceſſiuè tranſlatus extitit, primò ad Senonenſem, ſecundò Rothomagensẽ Eccleſias, etiam per dictum Benedictum aſſumptus in

Presbyterum Cardinalem, habuítque titulum SS. Nerei & Achilei, & tandem, vt præmittitur, electus fuit in Papam, sedítque annis decem, mensibus septem, & diebus quinque, & vacauit sedes diebus tredecim. Hic summus Pontifex satis citò post creationem suam optans, quòd guerra iam adiu orta inter Reges Franciæ, & Angliæ sedaretur misit ad ipsos suos Nuncios legationis officio fungentes, dominos Petrum de Pratis Prænestinum, & Ombaldum Tusculanum Episcopos, Cardinales, causa reformandæ pacis inter eos; qui diutius circa hoc laborauerunt, & institerunt, non tamen ad pacem peruenire potuerunt: sed tamen finaliter Domino cooperante eos inclinauerunt ad treugas, quas pro tunc inierunt ad quatuor annos postea sequuturos. Eodem tempore æstate iam inchoata, fuit maxima aquárum inundatio ferè in toto climate nostro, à pluuiis exorta, sic, quod etiam in montium cacumine scaturire videbantur, & loca inconsueta occuparunt, potentesque turres diruerunt, & quod est mirum dictu, in Ciuitate Coloniensi nauibus ad muros scanderetur, & intra Ciuitatem Aueniо-

C R mē-sib. VIII. | C.R Hā-baldum | C R pō-tesque | C R in ciuit Lenien.

nem nauigio transiretur. Dictus Papa die vigesima mensis Septembris, quæ fuit sexta feria Quatuor temporum, anno prædicto XLII. fecit creationem decem Cardinalium, videlicet octo Presbyterorum, & duorum Diaconorum: Presbyteri autem fuerunt, Dominus frater Helias de Nabilano, Ordinis Minorum, diocesis Petragoricensis tunc Archiepiscopus Nichosiensis: Dominus Guido de Bolonia, Frater Comitis Boloniensis, tunc Archiepiscopus Lugdunensis: Dominus Aymericus de Castroluti diocesis Lemouicensis, tunc Episcopus Carnotensis: Dominus Andreas de Florentia Italicus, tunc Episcopus Tornacensis, Dominus Stephanus Alberti diocesis Lemouicensis tunc Episcopus Claromontensis, Dominus Hugo Rogerij, Monachus Ordinis sancti Benedicti diocesis Lemouicensis, tunc electus Tutelensis, frater ipsius Papæ, Dominus Ademarus Roberti, diocesis Lemouicensis, tunc Sedis Apostolicæ Notarius; & Dominus frater Geraldus de* Guardia, diocesis Lemouicensis, tunc Generalis Minister Ordinis Prædicatorum, consanguineus eiusdem Papæ. Diaconi verò fuerunt,

C. R. de Nabunal.

C. R. de Bolonio.

C. R. de Castro-lucerij.

Dominus Bernardus de Turre in Aluernia diocesis Claromontensis, tunc Subdiaconus Papæ, & Dominus Guillermus Iudicis legum doctor, diocesis Lemouicensis, nepos ipsius Papæ ex sorore. Item dictus Papa audiens guerras, dissentiones, & turbationes, quæ erant, & vigebant quasi communiter in partibus Italiæ, ex quarum occasione subuersio earum verisimiliter poterat euenire, & etiam ex aliis rationabilibus causis, ad hoc animum suum mouentibus, per idem tempus misit Legatum suum de latere ad partes memoratas Dominum Guillermum Titici, titulo Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem, qui aliquandiu ibidem permansit, & in multis compleuit sibi commissa, & quo ad dissentiones, & guerras prædictas, ipsas per bonas treugas sedauit. Eodem tempore obiit Robertus Rex Siciliæ, nullis liberis masculis relictis, sed regnum suum iure hæreditario deuenit ad Iohannam dicti Roberti neptem ex filio, adhuc in ætate pupillari constitutam, quam per prius nuptui tradiderat Andreæ fratri Regis Vngariæ, & quia pro tunc regimen & administratio dicti regni ad Ec-

C. R. Curti.

clesiam pertinebant, donec dicta Iohanna ad ætatem perfectam peruenisset; pro regimine, & administratione huiusmodi, dictus Papa misit Legatum suum de latere ad regnum prædictum Dominum Aymericum deCastroluti titulo sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem, qui ibi vel circumcirca permansit per aliquod tempus, sed circa regimen & administrationem regni memorati modicum facere potuit, per dictam Iohannam iam doli capacem impeditus. Processu verò temporis dũ dictus Andreas se disponeret ad Coronam regiam recipiendam, fuit nequiter, & proditionaliter interfectus, operantibus, & consentientibus, tàm aliquibus cubicularijs, quàm alijs multis etiam domesticis suis, de quibus specialiter confidebat. Modus autem necis suæ fertur fuisse, quòd dum quadam nocte in Auersana Ciuitate disponeret se adeundum ad lectum cum dicta coniuge sua, fuit fraudulenter subitò, & proditionaliter per ipsos vocatus ad quoddam deambulatorium, & ibidem cum fune in collo suo ligato strangulatus, & deinde præcipitatus ad viridarium quod erat subtus dictum deambulato-

C R Castrolucij

rium, quæ res fuit magni ſcandali, & iniquitatis inauditæ, fuitque in hoc verificatum illud vulgare dictum, nulla peior peſtis, quàm familiaris hoſtis, &c. Occaſio autem huius ſceleris ſpecialiter fuiſſe dicitur, quia ipſe tanquam virtuoſus, & audax, verbo & facto monſtrabat ſe velle punire multos, quos videbat criminoſos, & male ſe habentes, quamprimum dominium dicti regni ad ipſum perueniſſet: de quo malè ſibi conſcij, & meritò formidantes cogitauerunt aduerſus eum, & modo præmiſſo ſibi ipſis præcauere. In quo diſcant noua dominia acquirentes, quod à principio non exaſperent, moleſtent, aut terreant ſubditos ſuos, etiam quantumcúmque demeritos, neque pandant interiora ſui cordis, ſed diſſimulent, & potiùs tales alliciant, eíſque blandiantur, donec habeant domini ſui firmitatem, dederintque ordinem, per quem aduersùs eos procedere valeant, abſque ſui periculo & ſcandalo aliorum; quia ex oppoſito multi modo ſimili, aut crudeliori perijſſe, aut à dominijs ſuis deiecti fuiſſe leguntur. Fuerunt autem, qui capi & comprehendi potuerunt, neci traditi interfectorum dicti An-

dreæ, corúmque complices, & fautores, contra alios verò postea dictus Papa fecit processus & fulminauit sententias, quantum dictabat ratio, & iustitia suadebat. Per idem etiam tempus iam guerra suscitata inter Petrum Aragonem, & Iacobum Maioricarum & aliarum terrarum suarum quas dictus Rex Aragoniæ prætendebat ad se pertinere, alio hoc simpliciter denegante. pro sedatione eiusdem dictus Papa misit Nuntiũ suum legationis officio fungentem, Dominum Bernardum de Albia titulo Sancti Ciriaci Presbyterum Cardinalem, qui quo ad pacem nihil profecit, sed ad certum tempus inter eos vniuit, & firmauit treugam. Item eodem tempore dictus Papa ad instantiam, & supplicationem Romanorum, qui hac de causa ad eum suos Nuncios miserant, mutauit magnum Iubileum de 50. in 50. annos, quod iuxta ordinationem Bonifacij Papæ octaui erat de centesimo in centesimum, voluitque, & ordinauit, quod visitantes limina Apostolorum Petri & Pauli illo anno 50. quem à cætero voluit esse Iubileum, habeant plenariam indulgentiam suorum peccatorum, cum modis, & conditioni-

bus, quæ in dicta ordinatione Bonifacij continentur. Item dictus Papa renouauit processus per prius inchoatos, per Ioannem Papam XXII. contra Ludouicum Ducem Bauariæ, eósque aggrauauit, & finaliter ipsum ab imperio reprobauit; mandauitque Electoribus Imperij, vt ad electionem alterius procederent, alioquin sedes Apostolica, àquâ ius eligendi ad ipsos peruenerat, de alio Imperatore prouideret. Deposuit etiam Henricum tunc Archiepiscopum Maguntinum, tanquam fautorem, & defensorem dicti Ludouici, & Gelratum Fratrem Comitis Vassorum loco eius Archiepiscopum ordinauit; non tamen hoc suum potuit sortiri effectum; nam ipse Henricus pertinax. & induratus, sententias paruipendens, quamdiu vixit dictum Archiepiscopatum tenuit occupatum. Item latis dictis sententijs contra Bauarium perdictum Papam, ad mandatum ipsius Volmarus Coloniensis, Valdinus Treuerensis, & dictus Gelratus nouus Maguntinus Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, & Ioannes Rex Bohemiæ in villa Ren. diocesis Treuerensis congregati, Carolũ tunc Comitem de Luxembourg

C. R. & Geliacũ.

C.R. Comitis de Nassou.

C. R. Vvaldui-nus

C. R. in villa Rense.

dicti Regis Bohemiæ filium, in Imperatorem seu Regem Romanorum elegerunt aliis Electoribus absentibus, & fortè non vocatis, tanquam adhærentibus Bauaro supradicto. Dictum autem Carolum sic electum Archiepiscopus Coloniensis memoratus in oppido suo Bunensi supra Rhenum coronauit coronâ ferreâ, pro eo quia locus de Aquisgrani, & villa de Frankefort, vbi consueuerat fieri tam electio, quàm coronatio Regum Romanorum, tunc Bauaro fauebant, & & adhærebant. Per idem tempus, Dominus frater Guillermus de Lauduno diocesis Vticensis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Tolosanus, iam cæcus effectus, videns se non posse Pontificalia officia exercere, renunciauit Ecclesiæ suæ in manibus dicti Papæ, quæ ad ipsam promouit Dominum Raymundum de Canilhaco Præpositum Magalonensem Ordinis sancti Augustini: pro sustentatione tamen dicti Guillermi sibi assignauit certam pensionem super prouentibus dictæ Ecclesię, per ipsum quamdiu viueret percipiēdam. Qui etiam post vixit pluribus annis, fecitque multa opera bona ad Dei seruitium, præsertim or-

C R oppido suo Vennē.

C R de Laudino.

dini ſuo & loco vnde originẽ traxit, fecit enim clauſtrum miræ pulchritudinis, cum domibus pro recolligendis hoſpitibus, in conuentu Auenionenſi, & in dicto loco ſuæ originis Eccleſiam valde ſolemnem, etiam dato quòd exiſteret cathedralis, in qua certas capellanias fundauit, & dotauit, ad quarum ſeruitium etiam Preſbyteros certos in perpetuum deputauit. Anno Domini M.CCC.XLIV. die vigeſima ſexta menſis Februarij, in qua fuerũt Quatuor tempora, dictus Papa creauit duos nouos Cardinales, videlicet Dominum Petrum Bertrandi iuniorem de Columbariis dioceſis Viennenſis, tunc Epiſcopum Atrebatenſem, & hic fuit in Preſbyterum aſſumptus, eratque nepos alterius Domini Bertrandi ſenioris, qui adhuc in Collegio ſuper extabat: ſecundum verò fecit Diaconum, videlicet, Dominum Nicolaum de Beſſia, tunc electum Lemouicenſem, de cuius dioceſi oriundus erat, nepos ſuus ex ſorore. Eodem anno Odoardus Rex Angliæ mare tranſiens in portu applicuit Cluſæ patriæ Flandriæ; cui ibidem occurrit memoratus Philippus Rex Franciæ, cum magno exercitu bellato-

C R. ſupere; altabat.

C.R. Iacobũ de Beſſia.

C. R. de qua dioceſi oriundus erat, nepotem ſuum ex ſorore.

rum, fuitque maximus conflictus inter eos, & strages hominum subsecuta est tanta, quòd aqua maris in dicto portu per plures dies sanguine intincta, vel rubrata permansit: victoriam tamen obtinuit Rex Angliæ supra dictus, qui ea potitus velut turbo per Picardiam more barbarico omnia cæde, & incendio vastans, ad postremum Tornarium obsedit, vbi cum nichil pro sua voluntate proficere posset, ab eodem recessit. Tandem venit Calesium portum maris, vbi obsidionem posuit, & tamdiu tenuit quòd finaliter ipsum obtinuit: nec in hoc sibi resistere potuerunt dicti Regis Franciæ potentia, nec illorum qui erant ab intra magnanimitas, & constantia, quæ fuit non mediocriter laude digna, cùm, vt fertur, longo tempore steterunt equis, muribus, & aliis animalibus vsui humano insolitis, vescendo in fame & siti, & aliis penuriis maximis, antequam voluerint se reddere, continue auxilium ab extra expectantes. Circa obuiandum autem malis quæ ex guerra regum prædictorum assiduè contingebant, dictus Papa quantum in ipso erat continuè vacabat, & insistebat, pacemque inter ipsos reformari procura-

bat, & ideo per idem tempus ad dictos Reges destinauit Nuntios suos legationis officio fungentes, Dominos Vnibaldum de Coquano Episcopum Tusculanum, & Stephanum Alberti titulo Sanctorum Iohannis, & Pauli Presbyterum Cardinalem, qui diu circa hoc instbuilerunt, non tamen ad pacis fœderationem dictos Reges inducere potuerunt, sed tamen treugas ad certum tempus inter ipsos iniecerunt. Eodem tempore ferè Vuillermus Comes Hollandiæ, magna suorum multitudine amissa, à Frisonibus nullo hærede sibi superstite, interficitur: propter quod Ludouicus Dux Bauariæ, qui se licet falsò gerebat pro Imperatore, Comitatum huiusmodi dedit filio suo Vuillelmo, quem vsque ad tempora nostra possedit posteritas sua. Paulò post dictus Ludouicus Dux Bauariæ adhuc pertinax, & in suis malitiis induratus, moritur, quo mortuo, & Carolo memorato iam in discordia electo, Henricus depositus Archiepiscopus Maguntinus, Marchio Brandeburgensis, & Comes Palatinus nouiter conuenientes Guncherium Comitem de Narzemburg in campis Frankfordiæ, in Regem Alamanniæ & Romanorum

C.R. Hanibaldũ de Sequano.

C.R. Simiteriũ Comitẽ de Zauzien behin.

norum elegerunt, atque armis ne dictus Carolus, ipſum perturbaret, deffendere, quin immò ipſum Carolum, licet verum regem, vi armorum repelleret. Carolus autem ſentiens ſe pro tunc armis aduerſus eos præualere non poſſe, dicitur procuraſſe quòd dictus ſuus aduerſarius ſatis citò mortuus eſt; an autẽ toxico, ſiue alio modo varij, varia ſunt locuti, ſed qualitercumque fuit non eſt ſibi ad culpam imputandum, iuxta illud dictum vulgare, non refert an armis habeatur palma doliſque. Mortuo autem dicto Guncherio, idem Carolus per dictum Archiepiſcopum Colonienſem, fuit Aquis grani iterùm coronatus, vt aliàs erat fieri conſuetum, & demum pacificè ac cum honore tanquam verus Rex Romanorum, & Alamanniæ, à ciuitatibus Imperij receptus, cuius electio fuit per dictum Papam cum ſolemnitatibus debitis proceſſu temporis approbata. Per idem tempus Sugilbertus de Marcha Epiſcopus Leodienſis, habens in ſui adiutorium dictum Carolum Regem Romanorum, & Iohannem Regem Bohemiæ patrem ſuum, cum multis aliis principibus Alamanniæ, Leodienſibus guerram mouit,

& cum eis bello congressus est: sed tandem Leodienses victores fuerunt, dictusque Carolus qui primo loco ibidem aquilam in vexillo erexerat, cum ea per fugam saluatus est, illa die. Sed eodem anno dictus Episcopus, cum eisdem Leodiensibus iteratò bellauit, & extitit victor, & demum fuit inter ipsos pax reformata. Per idem tempus dictus Papa ad instantiam dicti regis Bohemiæ Ecclesiam Pragensem, suffraganeam Ecclesiæ Maguntinensis in Archiepiscopalem erexit, & Abbatiam Luthomuslensem Ordinis Præmonstratensis Episcopalem Ecclesiam constituit, quam vnà cum Olomucensibus Ecclesiis prius de Magdeburgensi Prouincia, pro suffraganeis dictæ nouæ Metropolis Pragensis ordinauit. Erexit etiam ad instantiam regis Castellæ villam Algeziræ nouiter acquisitã, & de manibus infidelium ereptam, in Episcopalem Ecclesiam, dictam villam ciuitatem constituendo. Hoc etiam durante tempore Iohannes de Vicecomitibus Mediolani, tunc Archiepiscopus Mediolanensis tyrannicè occupauit ciuitatem Bononiensem ad ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentem, propter quod dictus Papa, contra eum fecit processus, & sen-

C. R. vna Clemicẽl & Mussinẽ.

tentias fulminauit. Sed tandem ad cor rediens, fuit Ecclesiæ, & Papæ reconciliatus, fuitq; sibi dimissa dicta ciuitas, sub annuo censu XII. M. Florenorũ, & seruitio quatuor hominum armatorum, suis sumptibus, quotiens Ecclesia haberet agere citra, vel vltra montes. Item per idem tempus Ludouicus Rex Vngariæ, intrauit regnum Ampuriæ, occupauítque tam ciuitatem Neapolitanam, quàm alias dicti regni, nec fuit qui ausus fuerit sibi resistere, fecitque magnas & asperas punitiones de illis qui adhuc restabant culpabiles super nece Andreæ regis fratris sui, & fecisset maiora, sed multi, qui se culpabiles sentiebant se absentantes ab illa patria fugerunt à facie eius. Ad mitigandum tamen eum, & pacificandum, ac vt Iohanna dicti Andreæ relicta, ad quam dictum regnum iure hæreditario pertinebat, ipso non priuaretur, sed potiùs sibi restitueretur, dictus Papa misit ad dictum regem, & regnum memoratum, Legatos suos de latere, primò Dominum Bertrandum de Deuctio titulo sancti Marci, & demum successiuè Dominum Guido de Bolonia titulo sanctæ Ceciliæ Presbyteros Cardinales, qui post multos

C R. Apuliæ.

C R. de Dencio.

tractatus Deo eis fauente sic operati sunt, quòd dictus Ludouicus Rex Vngariæ retrocessit, & dictum regnum in pace remansit, per dictam Iohannam impostetum possidendum, quæ venerat Auenionem ad dictum Papam, dicti regis tanquam hostis sui fugiens furorem, quam dictus Papa gratè & honorificè recepit, & demum secum dispensauit, vt contraheret cum Ludouico principe Tarenti, qui sibi secundo gradu consanguinitatis iungebatur: Inter quos postquam matrimonium fuit contractum dictus Papa misit Neapolim Dominum Guillermum de Guardia Archiepiscopum Bracharensem consanguineum suum, qui de eius mandato dictum Ludouicum Regem Siciliæ, & Appuliæ coronauit, & dicti regni regimen & administrationem sibi commisit. Circa idem tēpus Philippus Franciæ, & Odoardus Angliæ Reges prope locum de Cressi inter se bellum habuerunt, in quo victoria Anglicis credente Iohannes Rex Bohemiæ, qui iam cæcus effectus, ibidem bellaturus aduenerat, & plures alij nobiles & magni viri, interempti sunt. Anno Domini M. CCC. XLVII. die vigesima sexta Maij, dictus Clemens Papa canonizauit & Sanctorum Confessorum cata-

C R. iūgebatur fili' enim erat Philipi Principis Tarenti defūcti, fratris dicti Roberti regis aui dictæ Ioannæ.

C.R. die XXVII.

logo annotauit ſanctum Iuonem Hallo-ry Preſbyterum de Britannia oriundum, dudum aduocatum pauperum, & tam in vita, quàm in morte, multis magnis miraculis coruſcantem. Eodem tempore fuit in regno Franciæ, & præſertim in lingua Occitania cariſtia validiſſima, & cum hoc fames peſtifera, adeo quod quandoque, quod eſt horrendum auditu, præ nimia fame repertum eſt quòd matres ſuos morſibus natos lacerabant, & comedebant (vt de herbis crudis, & immundis, & animalibus comedi inſolitis taceamus cùm talium vſus eo tunc eis pro gratia ſpeciali haberetur) & hoc fuit initium mortalitatis quę citò eſt ſubſecuta. Anno Domini M. CCC. XLVIII. incepit tanta mortalitas ferè generaliter in vniuerſo orbe, quòd vix eſt aliàs ſimilis audita, viui enim ad mortuos ſepeliendos vix ſufficere poterant, aut ad hoc intendere abhorrebant, tantus enim timor ferè omnes inuaſerat, quòd ſtatim dũ vlcus ſeu boſſa, qui, vel quæ vt in pluribus in inguine aut ſub axella apparebat cuiuſque, dimittebatur ab aſſiſtentibus, & quamtumcúmque propinquis, pater enim filium, & filius patrem in grabato relinquebat, nec

C.R Hacloñ.

mirum, nam cùm in domo aliqua perſona tali infirmitate detinebatur, & demum moriebatur, ſæpiſſime repertum eſt, quòd alij omnes inficiebantur, & pari modo ſubitò moriebantur, immo quod eſt terribile audire, etiam canes, cati, galli, & gallinæ cum cæteris animalibus ibidem morantibus quibuſcumque, propter quod qui ſani erant timore perterriti fugiebant, & ſic multi propter iniuriam moriebantur, qui aliàs forſitan euaſiſſent, multi etiam qui arrepti hac infirmitate, indubiè credebantur ſtatim perituri, non habita diſcretione ad foueam pro ſepultura portabãntur, & ſic quamplures ſepeliebantur viui. Et huic malo ſuperadditum eſt aliud, nam inſurrexit, quædam vox quòd erant aliqui malefici, & ſpecialiter Iudæi, qui in aquis & fontibus potiones mittebant, cuius occaſione peſtis prædicta ſic incraſſabatur; propter quod multi tam Chriſtiani quàm Iudæi, innocentes & inculpabiles fuerunt cremati, trucidati, & aliàs in primis male tractati, cum reuera hoc non eſſet, niſi ratione conſtellationis, aut diuinæ vltionis, & hæc peſtis durauit vltra annum prædictum, immo & per duos ſubſequen-

tes, in diuersis partibus, vbi non fuerat se dilatando. Et hac durante tempestate dictus Papa in Auenione rem fecit maximæ caritatis, nam pro pauperibus visitandis certos ordinauit medicos, & alios qui eis in suis necessitatibus subuenirent in vita, & cùm decedebant etiam necessaria ad sepulturam ministrabant: ad mortuorum corpora capienda emit vnum magnum campum in quo cimiterium fecit consecrari, vbi generaliter omnes possent sepeliri, in quo infinitæ personæ ex tunc sepultæ fuerunt, fuitque ei nomen impositum, quod vsque in diem hodiernum durat, campus floridus. Anno prædicto quadragesimo octauo mense Maij extra quatuor tempora dictus Papa assumpsit in Diaconum Cardinalem Dominum Petrum Rogerij nepotem suum ex fratre, sedis Apostolicæ tunc Notarium, qui tunc erat valde iuuenis, & teneræ ætatis, cum iudicio communi nondum annum octodecimum compleuisset, erat tamen totus humilis, & benignus, bonæq; indolis, aptus, ingeniosus, & subtilis, ac ad studium litterarum multùm intentus, etiam in iure ciuili secundùm tempus quo circa ipsum versatus fuerat

benè ſapiebat. Eodem ferè tempore durante, populares Romani quemdam Nicolaum Laurentij Notarium vrbis elegerunt, & aſſumpſerunt in Tribunum, ſpreto regimine nobilium, & aliorum, quorum conſilio, & auctoritate per prius regebantur: hic autem Nicolaus aſſumpto huiuſmodi officio coadunatis ſibi aliis quamplurimis, hoſtiliter perſecutus eſt, & nobiles vrbis, & præſertim Columpnenſes, de quibus vnâ die multos interfecit: quo facto, die ſancto Pentecoſtes inchoato ſtatim mana locus & miles factus talem ſibi titulum aſſumpſit, ſeu vſurpauit, Candidatus aquâ ſpiritus ſancti Nicolaus miles Seuerus, & Clemens, Liberator vrbis, Zelator Italiæ, Amator vrbis & Tribunus Auguſtus. Hic Carolum Regem Romanorum & ſuos electores, coram ſe citari fecit, tandem poſt multa fatua quæ geſſit, alienum habitum induens dicti Regis curiam adiit, ipſius ſtatum, & animum ſcrutaturus, ſed cognitus, captus eſt, atque eidem regi præſentatus, qui demum ad Auenionem eum Papæ tranſmiſit, vbi diutius incarceratus permanſit. ſed tandem comperto quod contra Eccleſiam nihil ſpeciali-

C R ſtatimaria locius.

tet attentasset, relaxatus extitit, vel alios carceres fregit, & Romam rediens paulopost à populo tumultuosè occisus fuit. Per idem tempus obiit Iohanna Regina Franciæ dicti Philippi coniux, quæ Ducis Burgundiæ fuerat filia, post cuius obitum & non multo tempore lapso, dictus Philippus recepit in vxorem Blancam filiam Regis Nauarræ, cum qua modico tempore mansit, nam infra annum à tempore contractus, videlicet anno M. CCC. L. mortuus est, dicta Blancha grauida remanente, cui successit in regno Iohannes dux Normanniæ suus filius primogenitus, qui demum, prout moris est, confestim fuit Remis coronatus, & vnctus, & in sui regiminis principio, fecit caput truncari Comiti Angliæ Connestabulario regni sui, pro eo quod de proditione fuerat culpabilis, & reus inuentus. Eodem anno, qui iam erat per dictum Papam iubileus ordinatus, fuit maximus concursus populorum peregre Romam proficiscentium causa lucrandi plenariam indulgentiam, pro qua erat peregrinatio huiusmodi generaliter constituta; fuerunt tamen quamplurimi, per prædones, latrones, & piratas, in itine-

C.R Philippi Regis.

C R Capite trūcari Radulphum de Fulcardimōte Comitem Augi Cōnestabilem.

re, tam terræ, quàm maris bonis suis spoliati, etiam aliis multis modis damnificati, propter quod multi ab his præcauere volentes in habitu dissimulato dictam peregrinationem arripuere, etiam per Dei gratiam prospere compleuerunt, praticantes illud metrificum, Tutius vt peterent Laici sub imagine Romam, fas fuit, vt finerent luxuriare comam. Eodem anno obiit Dominus Anibaldus de Secano Episcopus Tusculanus Cardinalis, qui Romam per prius missus fuerat per dictum Papam Legatus, & Vicarius, vt ibi loco, & vice suis, pro illo tempore præsideret, & si hac vbi expediret, peregrini ad ipsum pro suis necessitatibus recursum haberent; dicitur autem quod toxico interemptus est. Ipse Dominus ædificauerat locum de Gentiliaco iuxta pontem Sorgiæ, & prope Auenionem, in quo constituerat, & fundauerat cœnobium fratrum Cęlestinorum pro quorum sustentatione condecenti, tam in vineis, pratis, molendinis, domibus, & censibus circumquaque, & etiam Auenioni existentibus multa acquisiuerat, & ipsorum vsui perpetuo deputauerat, de bonis à Deo datis sibi pro suorum remissione

C.R iuxta fortem

peccatorum. Eodem etiam anno memoratus Iacobus Rex Maioricarum per Petrum Regem Aragonum nominatum, tam à regno ſuo, quàm comitatu Roſſilionis priùs totaliter expulſus, Auenioni exiſtens, & per dictum Papam aliquamdiu ſola humanitate ſuſtentatus, vendidit locum & Baroniam Montiſpeſſulani Regi Franciæ, à quo etiam per ipſum in feudum tenebatur, & de pretio inde habito aggregauit gentes armigeras in numero ſatis magno, cum quibus intrauit terras, à quibus fuerat expulſus, eas vi recuperare intendens, cui occurrit dictus Arragonum Rex, belloque ſecum congreſſus eſt, in quo dictus Iacobus victus extitit, & interemptus, ſuuſque filius captus, & demum diu in carceribus detentus, & ſic qui iniuriam quam ſibi prætendebat illatam vindicare tentauit, eam ſupra, & contra ſe duplicauit, dum poſt terras, & bona perdidit, & perſonam. Hoc etiam durante tempore Turci cum magno exercitu appropinquabant partes Romaniæ, & circumuicinas, in tantum, quod veriſimiliter timebatur, quod vlterius progrederentur, & ibi tranſirent, & demum tam illas, quam partes

Neapolitanas inuaderent & vastarent, & pro eis obuiando fuerat prius per dictum Papam missus cum magno exercitu Patriarcha Constantinopolitanus. Sed Domino sic disponente negotio imperfecto mortuus erat. Idem Papa deliberauit fore expediens, immò & necessarium, vt alius cum magna potentia illuc eadem causa mitteretur, fuitque ad hæc per eum deputatus & ordinatus Imbertus Delphinus Viennensis, hoc iam à diu cum instantia postulans, & requirens, qui negotium huiusmodi cum magno apparatu nauigiorum & armatorum exercitu aggressus est, direxitque vias suas contra Turcos memoratos, sed Deo sic permittente nihil proficere potuit, sed vacuus rediens liberauit mundum relinquere & statum mutare, elegitque in habitu regulari Domino deseruire. Priùs tamen disposuit, & ordinauit de suo Delphinatu modo subsequenti: videlicet, quòd eo ipsum relinquente sibi in eo succederet Rex Franciæ, & sui perpetuo in regno successores, hâc adiecta etiam conditione, quòd semper remaneret in manibus, & regimine Regis vel filij sui primogeniti, qui erit vel sperabitur esse in regno suc-

cessurus. Facta autem huiusmodi ordinatione, religiosus effectus est, & habitum Prædicatorum assumpsit; dictus verò Papa demum ipso instante & procurante Iohanne Rege Franciæ memorato, iam suo successore effecto, fecit Patriarcham Alexandrinum, & Ecclesiam Remensem sibi perpetuò commendauit, & causa ipsum magis honorandi, ne forte à præmissis imposterum possit resilire in propria nocte natalis Domini ipsum ad omnes sacros ordines vno contextu ordinauit. Dicto anno scil. quinquagesimo præfatus Papa fecit creationem duodecim Cardinalium, videlicet decẽ Presbyterorum, & duorum Diaconorum, & hoc die decimâ septimâ mensis Decembris, quæ fuit feria sexta Quatuor tẽporum. Presbyteri autem fuerunt isti, Dominus Egidius Aluari Hispanus, tunc Archiepiscopus Toletanus; Dominus frater Pastor de Sarestudio diocesis Viuariensis, Ordinis Minorum, tunc Archiepiscopus Ebredunensis: Dominus Raymundus de Canilhaco diocesis Mimatensis, Canonicus regularis Ordinis sancti Augustini, tunc Arciepiscopus Tolosanus; Dominus Pictauinus de Montesquiuo Vasco, C.R Renald' de Can. C. R. Portauin' demõtesiuino.

tunc Episcopus Albiensis: Dominus Nicolaus de Capocia Romanus, tunc Episcopus Vrgellensis: Dominus Petrus de Crosso diocesis Lemouicensis,tunc Episcopus Antissiodorensis: Dominus Poncius de Villamuro Vasco,Canonicus Ordinis sancti Augustini, tunc Episcopus Appamiarum: Dominus Guillermus de Agrifolio monachus sancti Benedicti, tunc electus Cæsaraugustanus, consanguineus, & cubicularius ipsius Papæ: Dominus Egidius Rigaudi, tunc Abbas sancti Dionysij propè Parisius, Ordinis sancti Benedicti: & Dominus frater Iohannes de Molendino, diocesis Lemouicensis tunc Generalis Magister Ordinis Prædicatorum. Diaconi verò fuerunt Dominus Raynaldus de Vrsinis Romanus, tūc sedis Apostolicæ Notarius, & Dominus Iohannes filius Vicecomitis de Caramanno nepos Iohannis Papæ vigesimi secundi, tunc sedis Apostolicæ Notarius.

C R pro nepos Ioan.

Isto durante tempore insurrexit quædam secta pessima cruce flagellatorum, qui sub specie pœnitentiæ & boni, multa mala occultè perpetrabant, quam dictus Papa interdixit & contra ipsam sequentes excommunicationis tulit sententiam, &

alias pœnas promulgauit, & sic satis citò secta huiusmodi totaliter extincta euanuit. Fuit insuper eodem tempore durante, quidam Rusticus Baratator in Marchia Brandeburgensi qui aliquamdiu se asseruit & simulauit Valdemarum Marchionem dictæ Marchiæ, qui diu ante mortuus fuerat, dicens quòd non fuerat mortuus, sed in remotis tanto tempore extiterat, causa pœnitentiæ peragendæ, & quia fortassis aliquibus videbatur, quòd dicto Valdemaro in effigie aut statura, vel aliis assimilabatur, Otto Archiepiscopus Magdeburgēsis, & multi nobiles sibi adhærere cœperūt, sed tandē publicè comperto quod erat falsum & confictum ipsum turpiter ignominiose repulerunt. Dicto etiam tempore currente frater Hugo Fabri origine Tutellensis Abbas tunc Cumathensis, liberè suo monasterio renunciauit, & ad seruiendum Deo liberiùs Ordinem Carthusiensem est ingressus, in quo post conuersationem laudabilem processu temporis vitam finiuit: & Dominus frater Androinus, frater Comitis de Rocha Comitatus Burgundiæ, per dictum Papam fuit sibi in dicto monasterio immediatè sub-

C.R. Varacatos.

C. R. Cluniacensi.

angulis, ipse tamen ipsum perficiendo fecit quadrangulare, totam plateam muris altis, & turribus aliis primis æqualibus claudendo, & circuiendo. In hac autem parte licèt omnia ædificata sint seu constituta admodum solemnia, & aspectui valde decora, tria sunt tamen, quæ reliqua valde specialiter excedunt: videlicet Capella maior, Audientia, & terraciæ superiores, cùm, quoad id pro quo constitutæ & ordinatæ sunt, fortè non est in mundo Palatium in quo non dicam solemniores, immò nec pares existant, attenta tamen eorum contiguitate, cùm de vna ad aliam sine medio ascensus, vel transitus facilis existat. Consistorium insuper in alia parte, per dictum prædecessorem suum multum solemniter ædificatum, quia remanserat quasi tabula rasa, in qua nihil depictum erat, miris picturis decorauit, & scripturis mirabilioribus adornauit, in quo considerationem habendo quòd locus ille solùm ad iustitiam poscendam, & reddendam deditus, & ordinatus extitit, in pingendo per pictorem hunc ordinem voluit, & in propria descripsit obseruari. Videlicet quod diuina maiestate in supremo throno de-

picta circumquaque lateraliter effigies ſanctorum, & ſanctarum, ac aliorum, qui in veteri Teſtamento aliqua notabiliter in iudicio iure, iuſtitia, & æquitate, aut veritate ſcripſiſſe, vel dixiſſe leguntur, pingerentur, & ſub cuiuſlibet effigie ſeu figura, aut in rotulis quos ſuis geſtare videtur in manibus, ſua dicta, ſeu ſcripta ſuper premiſſis aut altero eorumdem literis groſſis & legibilibus ſcriberentur. Libros & capitula in quibus continentur rubeis literis deſignando, quæ omnia videntibus, & legentibus non modicum proficere, eóſque allicere debent, vt ab ipſis non deuient, ſed potiùs ad eorum obſeruationem intendant. Ipſe præterea Monaſterium Caſæ Dei, in quo à principio profeſſus extiterat, multis & magnis dotauit honoribus, & priuilegiis decorauit, ac prouentibus ampliauit, eiúſque Eccleſiam quia vetuſtate conſumptam ac ſatis ruinæ proximam, à ſolo ædificauit, tamen in multo ſolemniori ſtatu quàm priùs. Ciuitatem etiam Auenionenſem cum ſuo territorio, à Iohanna Regina Siciliæ, ad quam per prius ſpectabat, tenebaturque in feudum ab Imperio, Romanæ Eccleſiæ dato magno pretio emit,

consensu tamen & voluntate memorati Caroli Regis Romanorum in Imperatorem electi, qui etiam auctorizando, approbando, & confirmando emptionem huiusmodi, voluit & concessit: quòd in perpetuum pertineret ad ius, & proprietatem dictæ Ecclesiæ præfati Papæ suorumque successorum canonicè intrantium, quódque per eos liberè teneantur & possideantur in Franco allodio, nec pro ipsis homagium seu fidelitatem, seruitium, seu recognitionem cuiquam facere imposterum teneantur, & in signum adeptæ possessionis, & translationis dominij eorumdem, de domo communi sita iuxta Ecclesiam S. Petri Auenionensis, arma dictæ Reginę in ea affixa amota fuerunt, & in ipsorum loco, arma ipsius Papæ apposita, & affixa, quod quantum eidem Romanæ Ecclesiæ, vtile & fructuosum extiterit inæstimabile est, cùm hodie non habeat locum alium in toto orbe in quo liberius & securius dominetur, vt de ipsius solemnitate, ac situs commoditate taceatur. Hic Summus Pontifex toto tempore suo valde fuit intentus ad procurandum statum pacificum, & tranquillum suorum omnium subdi- C R in fimo allodio.

torum & præsertim Regum, & Principum, & aliorum Potentium, ex quorum discordiis inferiores habent commoueri, & turbari, quod satis demonstrauit in quasi assidua missione Legatorum, & Nunciorum suorum, de qua supra fecimus mentionem, nec curauit se cum aliis in guerris inuoluere, aut aliter dissensionibus intricare, nisi in quantum conseruatio iuris, & honoris Ecclesiæ sibi commissæ ipsum præcisè arctarunt quandocumque ad propositum, & adhuc tunc per viam iustitiæ processit, factum possetenus euitando, propter quod satis quietè, & pacificè vixit cum omnibus, considerata tunc temporis vrgenti qualitate, & ob hoc liberius vacauit, & perfectius intendit ad actus Papales exercendos. In his enim multum solemniter se habuit, vt pote Consistoria, & Concilia debitis temporibus, inde faciliter tenendo, diuina officia celebrando, sermones, & collationes excellentisimè etiam sæpe faciendo, in quibus etiam si retroactis temporibus forte quandoque habuerit sibi pares, excedentes verò rarò, prout talium tenor adhuc penes plures permanens indicat manifestè. Fuit insu-

per ſicut nomine, ita & re Clemens, miſericors, & benignus, non enim inuenitur contra aliquem pro intereſſe proprio, quantumcumque ſibi inimicus aut contrarius extiterit, aliquam vltionem exercuiſſe, aut expetiſſe vindictam. In cuius rei exemplum eſt hîc nobiliter inſerendum, quòd vnus qui per prius eo in minoribus exiſtenti ſibi aliquas iniurias irrogauerat etiam perſonales, qui æſtimans ipſum aliis variis magnis occupatum de ipſo aut iniuriis non recordari, ſibi quadam die ſupplicationem vnam porrexit, in qua petiit aliqua pro ſeipſo. Qui licèt ſupplicationẽ huiuſmodi benignè in propria recepit, tamen in ſuo ſecreto exiſtens dum eam perlegiſſet ſuper vindicta de ipſo aſſumenda per petitionis denegationem, aut aliàs quodammodo tentatus, ipſam proiecit ad terram pedibuſque conculcauit, quam demũ iam ſumit, & ſero primo ſimillimè fecit, & ea poſtremo reaſſumpta ſibi ipſi loquendo audientibus tamen aliquibus ſuis cubiculariis ibi aſtantibus dixit, Vade diabole quod hodiè facere non poteris, quod me vindicem de quocumque, & hoc dicto ſupplicationem prædictam illico vt pete-

batur signauit, nec aliam vnquam molestiam intulit ipsam offerēti. Habuit præterea hanc humanitatem, pietatem seu benignitatem ac liberalitatem generaliter ad omnes ad ipsum recurrentes, seu suum præsidium, seu iuuamen implorantes, quod numquam vel rarò aliquem à se emiserit sine consolatione reali, aut verbali, sæpius tamen ad rem, quàm ad verba intendens, pauperum & egenorum, præsertim illorum, qui aliàs abundauerant, & mendicare erubescebant, necessitatibus largifluè subuenit, considerans in iis omnibus quod beati mites, & beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur, quàm piè sperandum est ipsum iam consecutum, vel consecuturum in futurum, si humana fragilitate, ipsum adhuc impellente, in eo aliquid culpabile exstiterit ratione eorum, quæ sequuntur. Suos enim fratres, nepotes, consanguineos, propinquos, compatriotas, & seruitores valde dilexit, plurimos namque ex eis qui tempore suæ promotionis erant in statu Ecclesiastico, aut demum esse voluerant in altis, & magnis prælaturis, & dignitatibus sublimauit, multos verò inferioribus bene-

ficiis, ferè vbique terrarum existentibus collocauit, & quamquam inter eos fuerunt multi, idonei, & sufficientes, quod tamen quandocumque ipsos prætulit, cæteris magis, aut æquè sufficientibus, alios verò sic passim & indistinctè, & quia vbique collocauit, fortassis aliquid vltra debitum caro, & sanguis sibi reuelasse censentur. De Laicis, & præsertim de domo sua paterna prodeuntibus quid dicendum? suo enim tempore suóque fauore, ac propter eum multas diuitias, magnos reditus, plurima dominia, honores, & status sublimes sunt multis modis consecuti, fueruntque per affinitates confœderati cum multis, sicque generaliter actum est, quod in vtroque statu post eum altero ex modis prædictis ipsum contingentium remanserunt paucissimi, qui suam munificentiam non concesserint, sibi & suis & in posteris etiam fuisse, & esse vtilem & fructuosam. Ipse tamen finaliter infirmitate grauatus humiliter pœnitens de commissis, deuotéque receptis Ecclesiasticis Sacramentis, in veritate, & sinceritate fidei, ac vnitate sanctæ Matris Ecclesiæ, seipsum Domino commendauit, anno Domini M.CCC.LII.

die sextâ mensis Decembris Pontificatus sui anno vndecimo, fuitque sepultus in Ecclesia maiori Auenionis, & demum transferendus ad dictum Monasterium Casæ Dei, in quo viuens suam perpetuam elegerat sepulturam, vacauitque sedes diebus duodecim.

INNOCENTIVS VI.

Ex eisdem. M.S.

INNOCENTIVS Papa VI. natione Aquitanicus, de loco de Monte diocesis Lemouicẽsis, post dictum Clementem VI. immediatè Auenione fuit electus in Papam, XVIII. die mensis Decembris, anno Domini M.CCC. LII. & die XXIII. fuit coronatus. Hic priùs vocatus est Stephanus Alberti, Doctor legum existens, Iudex Maior Senescalliæ Tolosanæ, abinde verò promotus ad Ecclesiam Nemausensem, & de ea translatus ad Ecclesiam Claromontensem, demum per dictum Clementem Papam VI. assumptus in Presbyterum Cardinalem, habuitque titulum SS. Ioannis & Pauli:

C. R. XXIII. dicti mẽsis.

C R Nouiomensem.

poſtea autem fuit factus Epiſcopus Oſtienſis, & Velletrenſis, & Pœnitentiarius Maior. Poſtremò verò, vt præmittitur, electus in Papam, ſeditque annis IX. menſibus VIII. & diebus XXV. Hic factus Papa, die XV. menſis Februarij, quæ fuit feria VI. Quatuor temporum anni LIII. iam inchoati, fecit Presbyterum Cardinalem Dominum Andoinum Alberti dioceſis Lemouicenſis, nepotem ſuum ex fratre, tunc Epiſcopum Magalonenſem, cui aſſignauit titulum SS. Ioannis & Pauli, quem priùs habuerat ipſe. Hoc eodem anno tempore Paſchali fuit tranſlatum corpus Clementis Papæ VI. de Eccleſia maiori Auenionenſi, in qua commendatum fuerat, ad Monaſterium Caſæ Dei in Aluernia Dioceſis Claromontenſis, quod etiam concomitati ſunt vſque ad Sepulturæ ſuæ perfectionem quinque Cardinales; videlicet, frater, tres nepotes, & vnus conſanguineus ſui, quos ipſe conſortio & Collegio Cardinaliũ aggregauerat dum viuebat. Eodem etiam tempore fuit magnus concurſus populorum peregrè venientium ad Monaſterium ſancti Petri Montiſmaioris dioceſis Arelatenſis, vbi eſſe dicebatur

Indulgentia magna, immo secundùm aliquos, plenaria, est autem talis Indulgentia: Anno illo quo festum sanctæ Crucis occurrit feria VI. quemadmodum fuit anno prædicto. Et ipso tempore fuit aquarum inundatio maxima, circum circa Auenionem, & abinde vsque ad Arelatem, in tantum quòd tam in Rhodano, quàm aliis aquis adiacentibus multi ex dictis peregrinis perierunt, & submersi fuerunt. Tunc temporis ferè omnes ciuitates cum castris, & locis, quæ spectabant ad ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ erant extra manus suas; tenebanturque, seu veriùs, detinebantur & occupabantur per Tyrannos, in dictæ Ecclesiæ præiudicium, detrimentum, & iacturam. Circa quod volens dictus Innocentius Papa prouidere, daréque ordinem vt ad dictam Ecclesiam reduceretur: in sui regiminis principio misit ad partes illas Legatum suum de latere Ægidium Aluari Hispanum titulo sancti Clementis Presbyterum Cardinalem, vt circa reductionem, & recuperationem prædictorum intenderet, & vacaret. Qui cùm ad partes prædictas peruenisset, non inuenerat in omnibus

terris, & dominiis dictæ Ecclesiæ loca ſub regimine eius conſiſtentia, in quibus caput ſuum poſſet tutè reclinare, niſi in Patrimonij Prouincia, locum & Caſtrum Montisflaſconis, & in Ducatu Spoletano, locum de Monte falco. Sed ab inde per Dei gratiam ſucceſſiuis temporibus ſatis dilatauit fimbrias ſuas prout ex ſequentibus apparebit. Dicto Anno, ſcilicet LIII. Carolus Rex Romanorum, & Alamanniæ Metis exiſtens cum Curia ſua, Comitatum Luceburgenſem, quem Vencezlao fratri ſuo dederat, conſtituit, & ordinauit in poſterum eſſe Ducatum. Eo etiam tempore duos Fratres Minores, pro eo quia malè ſentiebant in fide, & præſertim ſuper articulo altæ paupertatis, Auenione combuſti ſunt. Anno verò eodem, ſcilicet XVII. die menſis Decembris, fuit Eclipſis Solis, & durauit quaſi per duas horas, quam demum ſequuta eſt tanta hiemis aſperitas, vt fluuij magni per plures dies ſteterunt congelati, & ſucceſſiuè tanta aquarum inundatio, quòd pontes imo & turres, quamplures ſubuertit. Præterea dictus Papa deſiderans pacis reformationem inter Reges Franciæ & Angliæ, circa ipſam

tractandam & persequendam intendere voluit, in propria credens plus proficere, quàm si per alios fieret; etiam ob hoc operatus est, quòd dicti Reges tunc ad ipsum hac de causa miserunt, Duces Borbonij, & Lenclastriæ, qui aliquandiu super hoc secum fuerunt: sed post multa, nihil factum est quoad effectum de quo agebatur, & querebatur. Dicto etiam durante tempore Rex Castellæ Blancam filiam Ducis Borbonij duxit vxorem, quam à principio tenerrimè dilexit, & meritò, cùm esset pulcherrima corporis & moribus adornata admodum. Sed demum satis citò Dæmone operante ipsam mirabiliter habuit ingratam, & exosam: & hoc procurante, vt dicitur, quadam muliere, quam per prius dictus Rex amauerat, quæ videns per dictum Regem propter ipsam haberi contemptui, imo & totaliter derelictã, machinata est odium supradictum; & hoc per medium, seu mysterium vnius Iudæi, qui etiam aduersùs dictam Reginam specialiter conspirauerat: pro eo quia ipsa videns, quòd tam ipse, quàm plures alij suæ legis, nimiùm frequentabant dictum Regem, habebantque multos fauores & honores in

Curia sua, iam tractabat, & disponebat, quòd ab his retraherentur, imo & quòd à Regno totaliter expellerentur. In quo eadem Regina minùs se cautè habuit, cùm talia à principio debuerit, aut ad tempus dissimulare, aut sic cautè, & occultè tractare, quòd omnino laterent eos qui tangebantur, ne sequerentur quæ sunt postea subsecuta. Modus autem apertionis & inchoationis odij & ingratitudinis huiusmodi fuit, vt dicitur, quòd dicta Regina dederat eidem Regi vnam zonam auream pulcherrimam, quam ipse admodum gratam habens sæpius pro sui ornatu deferebat: dicta autem mulier ipsius Reginæ æmula callida operata est, quòd tam ipsa, quàm dictus Iudæus zonam ipsam habuerunt, & arte sua magica se fecerunt, quòd vna die festiua & solemni, dum Rex ipsa zona præcinctus esset, quasi tota sua præsente curia visus est tam ab ipso quàm ab omnibus loco zonæ vno serpente magno & terribili præcinctus, & circumdatus: qui hoc aspiciens, nec immeritò, fuit admodum territus, & conturbatus: dúmque quæreret quid hoc erat, fuit responsum per circumstantes, inter quos erant forsitan aliqui con-

C. R. aperitionis machinationis odij.

C. R. & arte magna.

ſentientes in præmiſſis, quòd hoc erat zona ſibi pro munere iocali data per Reginam coniugem ſuam. Propter quod ipſam ab illa hora in ante ſic exoſam habuit, quòd noluit eam vlteriùs videre, aut ſecum conuerſari: præſertim quia illi qui præmiſſa tractauerant Regi peramplius confœderati ſibi continuè aſſiſtebant, & ipſum aduersùs eam continuè fortiùs inflammabant. De quo nimiùm turbati fuerunt Magnates & Proceres Regni vtriúſque ſtatus, Eccleſiaſtici ſcilicèt & ſecularis, honorem & ſtatum dictæ Reginæ, quam ſciebant fore innocentem, aduersùs prædictos æmulos & alios quoſcumque defendere, & manutenere etiam manu armata contendunt. Quocirca Rex exarſit in iram nimiam, cœpitque tales in manu perſequi, & de facto multos ex eis trucidauit, aliquos etiam Prælatos de ſuo regno fugere, & exire coëgit, ſícque totum ſuum regnum terribiliter conturbauit. Quibus ad notitiam dicti Papæ deductis, ipſe, prout ad ſuum ſpectabat officium, circa eorum ſedationem decreuit interponere partes ſuas, deſtinauítque ad dictum Regem legatum ſuum de latere, Dominum Guil-

C.R immaniter.

Ielmum Iudicis, S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, ad hoc vt dictum Regem cum dicta Regina coniuge sua pacificaret, Regnicolas in regno pacifico retineret; qui ipsum Regem pertinacem reperiit, & ferocem, ac in nullo flexibilem ad alterum præmissorum: Reginam enim nec reconciliare voluit, nec admittere suas excusationes; quæ etiam non multo post lapso tempore dolore, & tristitia obiit, vel secundùm aliquos dolosè extitit interempta. Fautores verò sui, inter quos erant tres naturales fratres dicti Regis, cum aliis multis qui à facie eius fugerant, pro tunc exules remanserunt: & quia priùs eis in Regno manentibus Rex occasionem assumpserat, ipsos, & alios, immo & totum Regnum conturbandi, ipsorum visa absentia, præsertim dicto Legato adhuc cooperante, satis pro tunc pacificatus extitit, & quietus; quibus expeditis dictus Legatus processu temporis rediit ad Papam prædictum. Eodem tempore etiam currente, fuit incendium terribile in ciuitate Bituricensi, in tantum quòd vix remansit in ea domus integra, vltra Ecclesiam maiorem; quo durante fuit res

mirabilis, quòd quantus ventus mutatus eſt, flatus ſuos validiſsimos dirigens verſùs partem vbi fortiùs ignis erat accenſus, & totaliter conſumpta mutabatur ad aliam, ac ſi humano opere mutaretur. In loco etiam Montiſpeſſulani fuit tempeſtas validiſsima grandinis, & lapidum groſſorum ad modum vnius magni oui, fuerúntque fructus qui exiſtebant conſumpti, arbores euulſæ, & tecta domorum plurimarum totaliter deſtructa, præſertim quæ tegulis cooperiebantur. An-
C. R. LV menſe Octobri. no autem LV. Odoardus Princeps Valliæ, primogenitus Regis Angliæ, mari tranſito venit Burdigalam, ab inde cum magno exercitu bellatorum per Guaſconiam tranſitum faciens, venit ad partes Toloſanas, & vlteriùs vſque ad Capiſtagnum, amplius etiam progredi diſponens donec fuiſſet in capite Pontis Auenionenſis; quod, vt creditur, feciſſet: Sed exercitus gentium Regni Franciæ ipſum circum circa ſequebantur, ſic quòd non poterat ſe iuxta ſuum velle ſecurè dilatare; cæde autem & igne tranſeundo omnia vaſtabat, præſertim in regreſſu, quo aliquibus diebus cum ſuis gentibus in Burgo Carcaſſonæ, & Ciuitatem obſeſ-
ſam

ſam tenuit ſatis ſtrictè, in tantum quòd ſi diutius ſtetiſſet, fuiſſet magnũ periculũ de captione dictæ Ciuitatis, quæ tamen eſt fortiſsima, & inexpugnabilis communiter æſtimata: hoc tamen erat propter carẽtiam aquæ, putei enim ab intra propter multitudinem occupantium, & habitantium in ea, erant quaſi iam areſacti, & ab extra non erat qui auderet egredi ad hauriendum aquas de fontibus, aut fluuio, qui etiam propter temporis ſiccitatem pro tunc ſatis modicum in aqua abundabant. Quæ ipſe non aduertens, aut ignorans, æſtimánſque ſe nihil ibi poſſe proficere, ſua caſtra abinde mouit, dictum burgum incendio totaliter conſumendo; & idem fecit ferè de omnibus aliis locis ad quæ declinauit, quæ pro tunc in via ſua erant, quaſi aperta, & ſine clauſura, licèt ex tunc vt plurimum multum ſolemniter reædificata, & ſic prædictus Odoardus dictis, & aliis damnis quamplurimis illatis abſque alio præliali congreſſu regreſſus eſt Burdegalam, vbi & in circum adiacentibus locis manſit per illam hyemem, & vſque ad tempus veris. Eodem Anno Petrus Rex Arragonum venit Auenionem ad dictum Pa-

pam, fuitque secum in festo Natalis Domini, in cuius nocte in matutinis certos nobiles suos qui secum venerunt, in præsentia dicti Papæ militauit; fecit insuper homagium eidem & in forma debita, de Regno Sardiniæ, quod in feudum tenet à Romana Ecclesia. Eodem etiam tempore Carolus Rex Romanorum in Imperatorem electus, de voluntate, & consensu dicti Papæ intrauit Italiam, Romam proficiscens, Coronam Imperialem ibidem recepturus, pro qua sibi imponenda fuit missus per eumdem Papam, Petrus Bertrandi iunior Episcopus Ostiensis Cardinalis, qui cum solemnitatibus debitis, & consuetis ipsum coronauit. Quo facto Dominus Imperator in Alamanniam rediit; sed transitum faciens per Pisas, habuit rumorem cum ciuibus, qui contra ipsum & gentes suas hostiliter insurrexerunt, sed per Dei gratiam dato per ipsum bono ordine, licèt strages hinc & inde fuerint subsecutæ, tamen cum suis gentibus remansit ipse victor, fecitque iustitiam de illis qui in causa, & culpa fuerant prædictorum.
C R in Norem beich. Dum autem ad Alamanniam peruenisset, vocatis Principibus in Varemberch

multas leges edidit, & Constitutiones fecit, statum & vtilitatem Imperij concernentes, accedentes ad pacem & concordiam inter ipsum & Ecclesiam cōseruandas; procurauitque quòd ad ipsius instantiam dictus Innocentius festum solemne ordinauit, de Lancea, de Clauis Christi, in Alamannia, & Bohemia obseruandum & colendum temporibus successiuis. Ipse enim Imperator multùm fuit curiosus, & sollicitus in reliquiis vndecumque congregandis, quas demum in magna veneratione habuit, & eas magnificè adornando in Ecclesiis & Monasteriis Ciuitatis Pragensis honorificè collocauit. Eodem insuper tempore obiit Ioannes Dux Brabantiæ, cuius filiam cum Ducatu recepit in coniugem Vencezlaus Dux Luceburgensis Frater dicti Imperatoris, licèt satis senem, & in ætate prouectam. Pro tunc etiam fuit Parisius neci crudeli traditus Carolus de Hispania Conestabularius Regni Franciæ, procurante, & ordinante, prout dicebatur, Carolo Rege Nauarræ, ac consentiente Comite de Arecixa; cuius occasione Ioannes Rex Franciæ contra eos fuit plurimum indigna-

C.R. Comite de Haricuria.

CR cœpit & decapitauit eodē etiā anno.

tus, & commotus, ipſoſque ambos cœpit, & captiuauit: ſed tandem primum relaxauit; terris tamen ſuis quas habebat in Normannia, in arreſto ſub manu Regia manentibus: & ſecundum capite truncauit. Eodem Anno qui pro tunc erat LVI. memoratus Edoardus Princeps Valliæ, tempore vernali de Burdegala recedens Ducatum Aurelianenſem inuadit, ac cæde & igne omnia conſumens ibidem infinita intulit damna. Ad cui obuiandum & reſiſtendum dictus Ioannes Rex Franciæ ſe mirabiliter diſpoſuit, & cum magno, & cum notabili exercitu ſibi paulatim occurrit, cum intentione & propoſito ipſum debellandi. Quod cùm ad notitiam Domini Innocentij Papæ perueniſſet, miſit ad eos nuntios ſuos legationis officio fungentes, Dominos, Taylarandum de Petragoriis Epiſcopum Albanenſem, & Nicolaum de Capucia Titulo ſancti Vitalis Preſbyterum Cardinalem, ad hoc vt ſi & in quantum poſſent eos pacificarent, vel ſaltem impedirent, quod bellum non committeretur inter eos. Qui ad ipſos peruenientes tractauerunt, & fecerunt quicquid potuerunt ſuper ipſorum pa-

cificatione : ſed tandem nihil proficere potuerunt, nec etiam bellum impedire, adeo enim dicto Regi aſſiſtentes pacificationem diſſuadebant, & belli congreſſum conſulebant, quod in oppoſito verbum audire renuebat : imo per aliquos ex dictis aſſiſtentibus, tam dictis Cardinalibus, quàm aliis ad pacificationem tendentibus, notam falſitatis & proditionis impingere non verebantur ; non enim conſiderantes quòd euentus belli dubius eſt, in belli congreſſu aſſertiuè ſe tenebant, debere eſſe victores, pro eo maximè quia erant in numero multò plures, erantque quaſi in medio dicti Regni, & ſic ſi & vbi expediret, aduentus maiorum ſucceſſurus erat ipſis opportunus, & facilis, ſuo verò aduerſario quodammodo impoſſibile videbatur. Qui etiam hæc perpendens bene & conſiderans, ad bonam pacem, & concordiam flectebatur, offerebat & ſe velle recipere, & facere multa, & magna, quæ etiam iuſta & rationabilia tractatoribus videbantur. Sed eis repulſis, Domino ſic permittente, die XVIII. menſis Septembris anni prædicti iuxta Ciuitatem Pictauenſem bellum inter eos commiſſum eſt : ceſſit victoria di-

cto Odoardo Principi, dicto Rege & suis ferè omnibus captiuatis, cæsis, aut in fugam conuersis quod fuit admodum mirabile & stupendum, attento maximè quod pro vno ex victoribus, victi erant decem & vltra, eorum etiam apparatus tam in armis quàm equis, & aliis ad bellum necessariis, & opportunis erat multò solemnior, & validior, & ad vincendum alios magis dispositus in cunctis: sed talis fuit voluntas Dei, seu ordinatio, cui resistere nemo potest. Hoc autem expedito, dictus Rex captiuus ductus ad Burdegalam cum sua nobili Comitiua, & ab C.R. cardinales. inde transuecturi in Angliam; Dicti verò multo tempore, magnóque labore intenderunt circa dicti Regis liberationem, & cum suis aduersariis pacificationem, tam citra Angliam quàm intra, qui ipsam hac de causa demum intrauerunt, dictum Regem processu temporis subsequenti: sed tandem in nullo effectualiter proficere potuerunt. Eodem Anno in festo Beati Lucæ Euangelistæ, fuit magnus terræmotus in Ciuitate & territorio Basiliensi: vnde ciuitas ipsa pene tota corruit, & ferè LXXX. castra & turres circumcirca dictam Ciuitatem ex hoc ad

terram sunt prostrata; durauitque quasi per totum illum annum licèt non continuè, sed per dilucida interualla, circa Argentinam, Spiram, & Treuerim, ac alias Ciuitates propè Rhenum descendendo, fuitque terra in plerisque locis aperta, ex qua alba aqua feruens, & sulphurea abũdanter emanauit, quæ etiam loca admodum fortia ad terram prostrauit, aliarum aquarum abundantia maxima turres & muros diruens; & deinde fames valida, & pestilentia magna, ex quibus Alamannia passa est damna infinita præter ea. Eodem Anno die XXIII. mensis Decembris dictus Innocentius Papa VI. creauit sex nouos presbyteros Cardinales: videlicet, Dominos Petrum de Foresta, Gallicum, tunc Archiepiscopum Rothomagensem, & Cancellarium Regis Franciæ: Heliam de sancto Arelio, diocesis Lemouicensis, Monachum Ordinis sancti Benedicti, tunc Episcopum Vticensem; Franciscum de Cuderto, Italicum, tunc Episcopum Florentinum: Petrum de Monturuco, Diocesis Lemouicensis, nepotem suum ex sorore, tum electum Pampilonensem: Fratrem Guilelmum Farinerij, de Gordonio dio-

C R. & ex hoc sublequuta est aliarum.

C.R. Arecdio.

C R. de Tuderis.

C. R. de Montyraco.

cesis Caturcensis tunc Generalem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum: & Fratrem Nicolaum Rosselli Catalanum, tunc Inquisitorem hæreticæ prauitatis Prouinciæ Aragonum. Circa idem tempus insurrexit quidam frater Ordinis Minorum de Conuentu Aureliaci diocesis sancti Flori, dicens se habere spiritum Prophetiæ, qui de futuris dicebat, & in scriptis redigebat multa, vocatus Frater Ioannes de Rupecisa, qui quia potiùs vaticinator, quàm propheta meritò erat censendus, ad dictum Innocentium Papam fuit adductus, per quem fuit carceribus mancipatus, in quibus mansit per totum tempus ipsius. Et licèt in dictis, & scriptis suis recepta fuerint multa quæ processu temporis contigerunt, propterea que plures sibi fidem dabant, tamen etiam multa defuerunt, & sic apparebat quia non erat verus propheta, quia in illis, si talis fuisset, nullus fuisset defectus. Circa idem etiam tempus multæ contigerunt turbationes, ac commotiones insurrexerunt inter diuersos, ac in terris & regionibus multis; & inter cæteras mota fuit dissensio inter multos Fratres Ordinis Prædicatorum, & Fratrem Simo-

nem de Lingonis, tunc Generalem Magiſtrum dicti ordinis, ipſúmque in quodam Capitulo Generali, à dicto Magiſterio de facto abſoluerunt, illi qui dicto Capitulo tunc præſidebant. Sed demum quia viſum eſt dicto Papæ Innocentio, quòd iniuſtè, & indebitè, ac mala intentione proceſſerant, ipſum ad dictum Magiſterium reponi ordinauit. Inter Ducem Brabantiæ, & Comitem Flandriæ orta fuit guerra occaſione infeudationis villæ Macliniæ factæ per Capitulum Leodienſe dicto Duci, fuítque bellum inter ipſos conſertum, in quo victor extitit dictus Comes, cuius occaſione Bruxella ſe reddidit, eidem, & ferè tota Brabantia idem fecit: ſed tandem paulò pòſt dictus Dux dictum locum cum tota terra ſua etiam ſine gladio recuperauit. Toloſæ etiam inſurrexerunt populares contra Magnates, & præſertim in Officiarios Regios, inter quos erat Ioannes Armaniaci Locumtenens Regius in lingua Occitana, quem occaſione Cabatgij nouiter per ipſum impoſiti, dicti populares hoſtiliter inſecuti ſunt, ipſum cum aliis Officiariis trucidare quærentes, ſic quòd de facto feciſſent, niſi ſe ſu-

C. R. de Hugonis.

C. R. Cappatigi.

bito in Castro Regio Tolosæ, Narbonẽsi vulgariter vocato, pro sui tuitione reclusisset, in quo etiam ipsos per vnam diem tenuerunt obsessos, igne vrgenti supposito, loco ad quem se reduxerant pro maiori sui securitate; nec fuisset remedium quin in eorum manibus incidissent, nisi nox quæ ipsos retraxerat superuenisset, ipsa tamen adueniente, & ipsi se reduxerunt ad propria, & prædictum castrum & villam confestim exiuerunt; durauit tamen dictus rumor in crastinum, & per plures dies post, in quo & multi innocentes mortui sunt, & domus quam plurimæ diruptæ, facta tamen demum debita vltione, de his quæ talia perpetrarunt, fueruntque causa commotionis prædictæ, ipsa cessauit, & dicta ciuitas pacificata remansit. Eodem etiam tempore quasi contextu contra Carolum Ducem Normaniæ, & Delphinum Viennensem, primogenitum Regis Franciæ, qui dicto patre suo in captiuitate detento Regimen Regni tenebat, insurrexerunt ciues & populares Parisius, adhærentibus sibi & consentientibus ferè omnibus aliis eiusdem status linguæ Gallicanæ, & facto sibi Capitaneo dicto *Iaque bon-home*, ipsum

ac ſibi aſſiſtentes deliberauerunt interficere; & hac de cauſa vna die iuerunt ad Palatium Regale vbi ipſe tutus eſſe credebat, pluréſque ex ipſis ſibi aſſiſtentibus in ſui præſentia interfecerunt: idemque de ipſo, vt creditur, feciſſent, ſed pro ſui ſecuritate dato ſibi vnius ex eis capucio ſubitò & occultè eorum manus euaſit, & exiuit ciuitatem, quæ per aliquos dies ſequentes in magna turbatione permanſit, & tunc memoratus Rex Nauarræ ipſius dominium ſibi conatus eſt vſurpare, ſed nequaquam ijdem populares ſibi obtemperare voluerunt, ſed in ſuo furore perſiſtentes, tam ibi, quàm ferè per totam illam patriam cædes quamplurimas magnatum & nobilium fecerunt, & eodem modo caſtra, & fortalicia innumera totaliter diruerunt, durauitque iſta maledictio per aliqua tempora. Sed tandem Domino diſponente dictus Delphinus agregatis ſibi gentibus armigeris, dictam Ciuitatem ad ſui obedientiam redegit, & præfatos inſolentes viriliter compeſcuit, pluribus ipſorum interemptis; inter quos fuit eorum dictus Capitaneus, qui quia per prius ſe Regem Iaqueorum nominabat, fuit cum vno tri-

pode ferreo candenti, seu ignito coronatus, & demum prout demeruerat occisus. Et sic cessauit huiusmodi tempestas. Qua etiam durante prouinciam inuaserunt quidam sociales nullum titulum habentes ad debellandum & damnificandum, nisi tanquam prædones publici, & agrorum depopulatores, quorum ductor fuit & Capitaneus quidam Vasco, dictus Arnaldus de Setuola, vulgariter Archipresbyter de Verniis nominatus, fueruntque quamplurimi nationum, & regionum diuersarum, & complentes illa pro quibus venerant, fecerũt ibi damna, infinita castra, fortalicia, loca, & villas occupando, personas captiuando, mutilando, verberando, & interficiendo, segetes, vineas, & alia fructifera demoliendo. Et cùm aliquamdiu talia perpetrando ibi stetissent nec protunc ibi esset qui bene eis resistere posset, tandem gentes illius patriæ se vnanimiter congregantes deliberauerunt inter se super modum quem tenerent, vt sociales præfati abinde expellerentur: & quia per vim armorum visum fuit ipsis hoc nõ fore possibile, alium modum conceperunt, videlicet ipsa victualia, & alia eis necessaria sic subtrahe-

rentur, & vexarentur, quòd necessitate arctati abinde exire cogerentur, feceruntque Edictum generale, sub formidalibus pœnis, quod bene & diligenter omnes custodirent munitiones suas, victualia quæcumque etiam & pecora in eis introducerent, quæ verò custodiri, seruari, aut introduci non possent, diruerentur, cremarentur, aut aliàs consumerentur, sic & taliter quòd prædicti se de aut cum ipsis aliqualiter iuuare non possent. Eoque pro redemptione captiuorum, & si iuxta qualitatem ipsorum pecuniæ eis darentur, victualia tamen aut quodcumque genus armorum, aut vestium, equitatum euectionis, seu claui, aut alia instrumenta seu munimenta, apta seu disposita ad aliorum offensionem, siue eorum tuitionem, seu conseruationem, nullatenus traderentur, etiam si talia eis ministrando, & non aliter captiui huiusmodi sperarentur liberari. Equidem Edictum tali modo seruarunt, quod non multis lapsis temporibus fame, & inedia, ac multis aliis miseriis lacessiti post preditionem equorum nimiam, ac interitum plurimorum ex se ipsis dictã patriam deserere & exire sunt

coacti, intraueruntque regnum Franciæ, vnde prius exiuerant, & ab istis primo sumpsit originem nomen Socialium, quod saltim satis citra montes perprius ignorabatur; habueruntque ex tunc satellites, & sequaces, qui in plerisque partibus dicti regni per plures annos post euagantes in eis damna infinita intulerunt tam in personarum captiuatione. His etiam pendentibus, ad obedientiam dicti Innocentij Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, reducta est ciuitas Bononiensis cum aliis pluribus, tam locis, castris, ac eorum detentoribus, inter quos fuit Malatesta de Malatestis, qui illis, quæ per prius de pertinentibus ad dictam Ecclesiam occupabat eius voluntati submissis, venit Auenionem ad prædictum Innocentium, cum quo fuit plenarie reconciliatus, & hæc facta sunt per ministerium memorati Domini Ægidij Aluari Cardinalis Legati in illis partibus existentis, qui tam per vim armorum, quàm aliàs suâ virtute ad dictam obedientiam præfatos reduxit. Præterea Petrus Rex Castellæ guerram mouit, & suscitauit aduersus Petrum Regem Aragonũ, suumque regnum hostiliter intrauit cum

magno exercitu, igne & gladio cuncta consumens, captaque ciuitate Trasconensi multisque ex eis ciuibus trucidatis aut membris inhumaniter truncatis, obsedit ciuitatem Valentinam, euulsisque vineis, ac arboribus fructiferis demolitisque segetibus, ac viridariis, & maneriis circumcirca ipsam existentibus, quæ admodum grata & delectabilia existebant, totaliter destruit, adeò etiam artauit, quod fuit in procinctu ipsam totaliter capiendi, & de facto vt dicitur sic contigisset, nisi Deus quodam modo miraculosè obsessis de succursu etiam inopinato prouidisset, in ipsius tamen aduentu obsidionem leuauit, & ad alia loca se conuertit. Ad horum autem malorum sedationem procurandam præfatus Papa Innocentius destinauit ad partes illas Legatum suum de latere Dominum Guidonem de Bolonia Episcopum Portuensem Cardinalem, qui diu circa hoc laborauit, & institit, & tandem post multa ipsos Reges ad pacem & concordiam reduxit, & sic dictis malis protunc fuit impositus finis. Memorati etiam Sociales seu alij eorum vitam sectantes, locum de Sancto Spiritu occupauerunt, impedire

CR Tirasonensi.

& turbare intendentes per terram & aquam, quod prouisiones necessariæ pro ciuitate Auenionensi, & Curia ibidem existente, quæ vt plurimum per dictum locum aut eius districtum habent transitum facere, ad eam nullatenus deuenirent; de quo dictus Innocentius Papa cum tota suaCuria, nec immeritò fuerũt plurimum conturbati, & ob hoc ad obuiandum eorum malitiæ per ipsum Papam tanquam contra hostes Dei, fidei, & Ecclesiæ suæ fuerunt facti processus, & data Cruciata, concessaque Indulgentia plenaria, omnibusque expugnantibus, & persequentibus ipsos, quibus per varias partes diuulgatis venerunt quamplurimi crucis signaculo insigniti, aduersus eos dimicare & certare disponentes, quibus idem Innocẽtius constituit Capitaneum, & ductorem Dominùm Petrum Cardinalem Ostiensem superius nominatum. Sicque per Dei gratiam actum est, quòd dicti malefici locum prædictum satis citò post dimiserunt. Eadem insuper tempestate durante contra Ioannem Comitem Pictauensem filium Regis Franciæ deputatũ per eum pro regimine patriæ linguæ Occitanæ, tunc in partibus Tholosanis existentem,

existentem, insurrexit hostiliter Gasto Comes Fuxi, ipsum, suosque sequaces, & adiutores expugnando, & persequendo, inter quos fuere specialiter ciues Tholosani, quorum quamplurimi vna die incautè contra suum exercitum irruentes, fuerunt tamen deuicti, multis ex ipsis inhumaniter trucidatis, reliquis captiuitatis, aut fugæ remedio liberatis, sed tandem multis damnis, & iniuriis hinc inde illatis, licet non æqualiter, cùm dictus Gasto continuè fortior extiterit, ad inuicem pacificati fuerunt. Per idem tempus venit Auenionem Archiepiscopus Armacanus in Hybernia sæcularis habitus, magnus, & profundus magister in Theologia, mouitque quæstionem, & litem generaliter contra omnes ordines Mendicantium, & eorum statum, tendens finaliter ad ipsorum extirpationem aut eorum in multis damnationem, pro eo quia secundum eum in multis extendebant falcem suam in messem alienam, hoc est plusquam à iure eis permittitur, seu conceditur de pertinentibus ad Ecclesias Parrochiales earumque rectores, vsurpando sibi, durauitque quæstio huiusmodi per aliquod tempus, sed tandem

C. R. Ricardus Arch.

indecisa remansit propter obitum suum qui superuenit, de quo dicti fratres potius de gaudeamus quàm de requiem cantauerunt. Pro tunc insuper rex Angliæ cum magno exercitu regnum Franciæ multis modis deuastabat, nec erat qui suæ posset resistere potestati, & licet per prius super pace & cõcordia inienda inter regem Franciæ & ipsum se interposuerit Carolus memoratus Imperator, & Metis existens ibi suas tenens curias certos pro parte cuiuslibet ad sui præsentiam euocauerit, tractaueritque inter eos per aliquot dies ac fecerit quidquid potuerit circa ipsorum pacificationem, tamen quia nihil proficere valuit, habuit hoc relinquere imperfectum, sicque dormiuit seu cessauit labor circa tractatum huiusmodi insistere silentium per aliqua tempora, quibus durantibus, non mediocriter crescebant mala, & damna memorata. Ad quæ nonnulli aspectum habentes, & specialiter Dominus Androinus de Roca tunc Abbas Cluniacensis ad id intendere, & vacare decreuit, & tandem Domino sibi assistente post multos, & varios labores in tantum operatus est, quod dictos reges ad hanc concordiam incli-

nauit, & induxit. Videlicet quod terris tunc tentis, & possessis, vbique citra mare per Regem Angliæ penes eum remanentibus, iure superioris dominij Ducatu Aquitaniæ saluo remanente penes Regem Franciæ, sic & in quantum sibi perpriùs competebat, Ducatus ipse limitatus, sub modo, & forma infra descriptis, à cætero ad dictum Regem Angliæ pertineret, ipsumque possideret & teneret in perpetuum hæreditario iure, quodque pro executione huiusmodi concordiæ, illa quæ in dicto Ducatu pro tunc per dictum Regem Franciæ tenebantur, & possidebantur, liberè traderentur in manibus dicti Regis Angliæ, seu deputandi per eum. Item quod dictus Ioannes Rex Franciæ, qui pro tunc in Anglia captiuus existebat, liberaretur pro certa summa pecuniæ in certis terminis exsoluenda, quibus concordatis, & appunctuatis, & per partem & alios, quorum intererat approbatis, ad eorum executionem isto modo fuit processum. Videlicet quòd dictus Rex ante omnia tradidit pro redemptione sua magnam summam pecuniæ dicto Regi Angliæ, quam quia pro tunc non habebat bene in prom-

ptu, recipere habuit nomine mutui siue doni à Galeazio de Vicecomitibus Mediolani, cuius occasione fuit data filio suo in coniugem filia dicti Regis cum Comitatu Virtutum sibi cōstituto, & ordinato pro dote, pro residuo vero dictæ summæ ac complemento & aliorum prædictorum dati sunt per eūdem regem obsides omnes filij sui, primogenito excepto, & quamplures alij principes, & magnates regni sui, ac alij nobiles statuum diuersorum. Et his expeditis idem Rex fuit liberatus, venitque in Franciam, ac dedit ordinem circa traditionem, & liberationem Ducatus supradicti, ad quod faciendum fuerunt deputati per eum, & per Regem Angliæ, alij qui de mandato suo haberent eius possessionem recipere, vice, & nomine Odoardi sui primogeniti, cui ipsum dederat, ac per eum volebat teneri & gubernari. Commissarij autem Regis vtriusque processerunt ad integram & realem executionem præmissorum, fuitque positus per ministerium prædictorum dictus Odoardus pro tunc Princeps Valliæ in possessionem ciuitatum, & diocesis Agennensis, Condomensis, Vasatensis, Pictauensis, Mallea-

censis, Lucionensis, Engolismensis, Petragoricensis, Sarlatensis, Lemouicensis, Tutellensis, Ruthenensis, Vabrensis, ac Caturcensis, cum Ciuitate Montisalbani, & parte diocesis eiusdem, quæ per flumen Tarni diuiditur à comitatu Tolosano. Quibus expeditis dictus Odoardus Princeps venit in propria ad Ducatum memoratum, in quo mutato nomine Ducis, Princeps Aquitaniæ voluit nominari, dominatusque est cum maximo potentatu, cunctaque disposuit pro suæ libito voluntatis, nec fuit qui aduersus eum ceruicem erexerit, quātumcumque magnus ex omnibus suis subditis, quos tamen in pace & quietē, ac tranquillitate tenuit, per septem vel octo annos, quibus principatus est inter eos. Circa idem tempus verò, quo currebat annus M. CCC. LX. Engelberthus de Marcha Episcopus Leodiensis cepit castrum Stothey- C.R. Angelbert⁹. ni Comitatus Lossensis aliàs de Loue, C.R. Staneyn. cum quo etiam totus Comitatus prædi- Comit Lo- ctus ad Ecclesiam Leodiensem peruenit sonen. alias de Theodorico Comite dicti Comitatus, Louen. sine hærede defuncto. Raynaldus etiam Dux Gueldriæ commisso prælio cum Odoardo Fratre suo iuniore capitur, &

ipſo in carcere detẽto, Ducatus eius per capientẽ obtinetur. Fratres inſuper Ordinis S. Mariæ Theutonicorum in Pruſſia Caiſtor Regẽ Lituanorũ in bello capiũt, ſed tamen captum detinere, ſeu cuſtodire neſciuerunt, nam de carcere eorum euadens multa ipſis damna poſt intulit, & iniurias irrogauit. Anno ſequenti, qui fuit LXI. fuit mortalitas magna quaſi vniuerſaliter, ſed præcipue in regno Franciæ, mortuæque ſunt perſonæ quam plurimæ de boſſis, antracis, & carbunculis, & ſimilibus vlcerationibus, & inflaturis; regnauitque huiuſmodi peſtis per maximè, in locis & regionibus montanoſis, in quibus naturaliter conſueuit eſſe purus aër, quæ vt plurimum non inuaſerat peſtis alia quæ regnauit anno quadrageſimo octauo. In hac dicuntur eſſe mortuæ plures perſonæ notabiles, & magni ſtatus quàm in alia, durationis ipſius tempore compenſato, non enim vltra ſex vel ſeptem menſes durauit hæc, alia verò per annum & vltra. Iſto etiam eodem anno, C R. die XVI. die decima ſeptima menſis Septembris, quæ fuit feria ſexta Quatuor temporum, præfatus Innocentius Papa fecit ordinationem octo Cardinalium, quinque Pre-

ſbyterorum & trium Diaconorum. Preſbyteri autem fuerunt, Dominus Frater Fortaminis Vaſſalli dioceſis Caturcenſis Ordinis Fratrum Minorum, tunc Patriarcha Gradenſis, Dominus Petrus Iterij dioceſis Petragoricenſis, tunc Epiſcopus Aquenſis, Dominus Ioannes de Blãdiacho dioceſis Vticenſis, tunc Epiſcopus Nemauſenſis, Dominus Egidius Ayſellini de Monteacuto Aruernigena tũc *Epiſcopus* Morinenſis, & Cancellarius Regis Franciæ, & Dominus Androinus de Roca natione Burgundus, tunc Abbas Cluniacenſis. Diaconi verò fuerunt, Dominus Stephanus Alberti dioceſis Lemouicenſis, tunc Electus Carcaſſonenſis nepos Papæ, Dominus Guillermus Biagolæ dioceſis Mimatenſis, tunc Electus Vabrenſis, & Dominus Hugo de ſancto Martiali dioceſis Tutellenſis legum Doctor, præpoſitus Doacenſis. Tempore huius ſummi Pontificis, duo magni ſummi, & illuſtres principes, mundum & eius pompam ſeu vanitates reliquerunt, videlicet Dominus Petrus Infans Aragonum, Patrinus Regis Aragoni, Comes de Patris, qui Ordinem Fratrum Minorum ingreſſus eſt: & Dominus Carolus

C.R Fortanerius.
C R Petrus Iutien.
C R Aſſelini.
C. R. pronepos.
C R. Brãgoſe.
C. R. de Pratis.

Comes Alenconij consanguineus germanus Ioannis Franciæ,qui habitum suscepit Ordinis Fratrum Prædicatorum. Dictus etiam Papa suo tempore fecit claudi, & circuiri totam ciuitatem Auenionem muris,& turribus altis & fortissimis, ac vallibus seu fossatis ab extra, ex quibus dicta ciuitas, quæ per prius erat omnino aperta, effecta est fortissima, & ad resistendum quibuscumque eam expugnare volentibus multùm bene disposita, & parata, voluitque quòd clausura huiusmodi haberet magnum ambitum ad hoc vt processu temporis infra ipsam possint fieri noua ædificia, ex quibus dicta ciuitas ampliaretur, includerentur etiam infrà eam multa viridaria, & loca amœna, circa ipsam tunc existentia, ac etiam hospitale miræ pulchritudinis,pro tunc nouiter ibidem ædificatum & dotatum per Bernardum Rascasij, legum doctorem ciuem Auenionensem. Ædificauit insuper idem Pontifex, & dotauit in Villanoua prope Auenionem domum Cartusiensem, Vallis benedictionis nominatam, constituens in ea certum numerum fratrum seu Monachorum eiusdem Ordinis, pro quorum sustentatione

C R. Doctorem Curiæ Auen.

sufficienti multa bona deputauit. In Tholosa verò vbi à principio studuerat, fundauit nobile Collegium pauperum scholarium, quod sancti Martialis voluit appellari, pro cuius dotatione multa bona exposuit à Deo sibi data; Ipse fuit valde sollicitus & curiosus circa recuperationem terrarum Ecclesiæ, in partibus Italiæ existentium, pro qua expendit & exposuit pecunias infinitas, & per Dei gratiam non in vanum: nam vt supra tangitur pro maiori parte suo tempore recuperatæ fuerunt, & in ipsis pro earum tuitione, multa castra seu fortalicia nouiter instructa, & antiqua reparata. Circa etiã bonam & debitam expeditionem & prosecutionem aliorum omnium sibi incumbentium, ac pertinentium ad officium sibi creditum, cum magna diligentia vacauit, & intendit, processitque in omnibus cum deliberatione, & consilio tam Cardinalium, quàm aliorum peritorum, nihilque de contingentibus obmisit quamdiu potuit laborare, fuit tamen multum oppressus, & grauatus guta & podagra, propter quod multoties fuit impeditus in prædictis, & præsertim in suis vltimis diebus, in quibus fuit admodum debili-

tatus, & valetudinarius, cùm eſſet ſatis annoſus, immò & ſenio confractus, ſemper tamen habuit bonam intentionem in ſuis omnibus agendis: dilexit etiam pauperes, & eis libenter ſubuenit, viros inſuper literatos fouit, eiſque benefecit, & multos promouit. Iuſtitiam manu tenuit, & conſeruauit, & in curia ſpecialiter voluit, & ordinauit malos, & inſolentes puniri. Suo enim tempore inſurrexit in Auenione quædam ſocietas, quæ Damperica vocabatur, cuius ſectatores de nocte incedentes, furta, ſtupra, & maleficia multa committebant, de quibus idem Papa iuſtitiam ſatis rigidam fieri mandauit, ſic quòd multi ex eis, etiam qui ſe nobiles æſtimabant, erantque apparenter ſatis magni ſtatus, ſubmerſi fuerunt, aut aliàs trucidati, quorum exemplo alij perterriti, aut fugerunt, aut de prædictis deſtiterunt; & ſic dicta ſocietas euanuit ſatis citò. Plures ex ſuis tam nepotibus, quàm conſanguineis in Eccleſia promouit & exaltauit, ad quod faciendum caro ipſum aliqualiter traxit & inclinauit, tamen vt plurimum boni, & ſufficientes fuerunt, & in ſtatu eis dato benè & laudabiliter ſe habuerunt: pau-

cos habuit in ſtatu Laicali ſibi multum propinquos, illis tamen ſic benefecit, quod poſt ipſum benè & honorificè cum eorum potentiis, viuere & ſtare potuerunt; non tamen aliàs ipſos magnis dignitatibus, aut honoribus ſublimauit. Tandem verò poſt labores multos, & anxietates innumeras, quas habuit tam in corpore, quàm in mente, propter varias, & plurimas infirmitates, & turbationes, quæ ſuo tempore tam ſibi quàm toti mundo, vt præmittitur, contigerunt, in pace quieuit, anno Domini M. CCC. LXII. die XII. menſis Septembris, Pontificatus ſui anno decimo, fuitque ſepultus in Eccleſia maiori Auenionis, demum transferendus ad dictam domum Cartuſienſem Villæ nouæ, in qua viuens ſuam perpetuam elegerat ſepulturam, vacauitque ſedes diebus quadraginta quinque, & circa id tempus paulò ante obierat Ludouicus Rex Siciliæ, Ioanna Regina, & coniuge eius remanente ſine quacumque prole.

VRBANVS QVINTVS.

Ex eiſdem. M.S.

C.R. Gabalitan².

VRbanvs Papa quintus natione Gallicanus de loco de Griſaco dioceſi Mimatenſis poſt dictum Innocentium VI. Auenioni fuit electus in Papam, die xxviii. menſis Octobris, anno Domini m. ccc. lxii. & die vi. menſis Nouembris immediate ſequentis, conſecratus, & coronatus. Hic priùs vocatus eſt Guillermus Grimoardi, cuius pater fuit, Grimoardus miles, & in adoleſcentia ſua ſub habitu Monaſtico Domino voluit famulari, fuitque receptus in Monachum in Prioratu de Chiriaco dictæ dioceſis à Monaſterio ſancti Victoris Maſſilienſi dependente; vbi poſtquam fuit inſtructus, in regularibus obſeruantiis, ſe tranſtulit ad ſtudia literarum, in quibus adeò diligenter inſtitit, & inſudauit, quòd demum fuit effectus ſolemnis Doctor decretorum, legitque ex tunc multis annis tam in Montepeſſulano, quàm in Auenione. Tandem verò ſuis ſuffragan-

tibus meritis, primò ad Monasterium sancti Germani Antissiodorensis, postea verò ad Monasterium prædictum sancti Victoris Massiliensis, sub quo primitus Ordinem sancti Benedicti professus extiterat, promotus fuit, & ab inde assumptus in Papam, seditque annis octo, mense vno, & diebus nouemdecim. Modus autem suæ assumptionis, seu electionis, magis à Deo quàm ab homine videtur processisse; attento præsertim quod dicta sede Apostolica tunc vacante, erant in Collegio Cardinalium multi valentes, & sufficientes viri, qui tamen vt creditur Deo sic disponente concordare nequiuerunt, vt ipsorum aliquis eligeretur. Sed post satis diuturnam vacationem habentes aspectum ad merita, virtutes, & sufficientiam, de quibus magnam experientiam habuerant, cum inter ipsos in plerisque officiis deputatus longis temporibus fuisset conuersatus, in eum pro tunc absentem, & in partibus Neapolitanis pro negotiis Ecclesiæ Romanæ existentem, sua vota direxerunt, non tamen ea publicauerunt donec, & quo vsque ipse personaliter ad ipsos venit, hæsitantes an electioni suæ huiusmodi suum vellet

C.R. diebus xxii.

præbere consensum, qui licèt cum tremore & timore præstitit, nolens diuinæ, & eorum contraire voluntati: fuitque per eos inthronizatus, debitis & solitis solemnitatibus obseruatis. In hac autem electione fuit præsens, & tanquam in ipsa vocem habens, admissus est in conclaui, cum aliis Cardinalibus introductus, Dominus Androinus de Rocha priùs Abbas Cluniacensis, qui per dictum Innocentium Papam VI. factus fuerat Presbyter Cardinalis, tamen cum nondum haberet titulum, nec viuente dicto Innocentio in consistorio fuerat installatus, intrauit enim primo Curiam dum dictus Innocentius laborabat in extremis, immò & quasi hora qua moriebatur: quod ideo hîc notanter inserendum duxi, vt appareat quòd sola assumptio, seu promotio ad Cardinalatum dat vocem in electione Papæ, & non tituli assignatio, & hoc expressè denotat regularis, seu communis obseruantia, quæ habet quod nouiter promoto ad dictum statum per Papam clauditur os antequam sibi titulus assignetur, sicque manet ore clauso, & vocem in nullo habens, donec demum sibi aperiatur, & tunc sibi titulus assigna-

tur, & vt imposterum loquatur, vocemque liberam habeat, tam in dicta electione quàm aliis actibus ad statum huiusmodi pertinentibus, tribuitur, & conceditur facultas, quæ per dictam oris clausuram suspensa fuerat, & effectualiter interdicta: hoc etiam denotat verbum claudere, quod non potest locum habere nisi in re iam aperta, & ita pro vero & indubitato, & de iure tunc tentũ habitum & determinatum extitit concorditer per Dominos Cardinales. Dictus autem Vrbanus Papa modo præmisso electus, cõsecratus & coronatus, satis citò Dominum Guillermum Bragose sancti Gregorij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, ac maiorem Pœnitentiarium, virum vtique satis grandæuum, qui per prius in studio Tholosano Doctor solemnis decretorum existens annis pluribus cathedram doctoralem ad perutilem instructionem, seu informationem plurimorum rexerat, in Presbyterum Cardinalem ordinauit, sibique titulum Presbyteralem assignauit, videlicet sancti Laurentij in Lucina: ad quod faciendum præcipuę motus extitit Romano officio Pœnitentiariæ, quod Presbytero, magis

quàm Diacono conuenire iudicauit. Ad Ecclesiam insuper Auenionensem, quæ diu pastore caruerat, cùm per duos prædecessores suos pro suis, & Ecclesiæ necessitatibus vacans continuè retenta fuisset, promouit Dominum Anglicum Grimoardi Priorem Dignensem fratrem suum, de quo quasi comuniter dicebatur, quòd in omni probitate, honestate, religionis obseruantia ac discretione, seu circumspectione naturali, cum literatura conuenienti ordo suus, scilicet Canonicorum Regularium, & si sibi pares haberet, paucos tamen, excedentes verò nullos. Qui etiam suo tempore, & successiue, vltra bona multa quæ fecit in Ecclesia memorata in Auenione à solo ædificauit Monasterium cum officinis, & habitationibus necessariis pro Monialibus de Furnis Ordinis sancti Benedicti, quæ prius erant ab extra collocatæ in loco campestri, & aperto, deditque eis multa bona, & reliquias aliquorum sanctorum specialiter sanctæ Luciæ munitum & incassatum in argento. In Aptensi etiam ciuitate à solo ædificauit, & dotauit Monasterium Monialium Ordinis Cisterciensis, & in Montepessulano Mo-

nasteriumCanonicorumRegularium sub nomine S. Ruphi,in quo constituit certũ numerũ Canonicorum quiDeo ibi seruirent, & nihilominus intenderent circa studia literarum, dotauitq̃ue Collegium huiusmodi de reditibus, & prouentibus satis sufficientibus ad sustentationem dictorumCanonicorum,quibus etiam prouidit de pluribus bonis, libris, ac aliis ornamentis, pro diuino seruitio, & sui continuatione studij necessariis, & opportunis. Et eodem currente tempore fuit prælium inter Gastonem Comitem Fuxi, & Ioannem Comitem Armaniaci, in quo idem Gasto extitit victor,habuitque captiuos, tam dictum Ioannem quàm fere omnes maiores, & notabiliores bellatores suos;fuerũt etiam multi ex vtraque parte interempti. Post dictam etiam promotionem Vrbani Papæ ad ipsum satis citò venerunt Ioannes Francorum, Petrus Cypri, & Daciæ Reges causa ipsum visitandi, sibique reuerentiam exhibendi, qui demum cum suis voluntate, & deliberatione, & consilio ad faciendum generale passagium vltramarinum, & specialiter contra Turcos se mutuo astringunt, fueruntque cum multis aliis ma-

gnis & notabilibus viris cruce signati per dictum Papam, qui etiam pro tunc crucem contra Turcos prædicauit, ordinans dictum generale passagium, cuius Capitaneum constituit præfatum Ioannem Francorum Regem, personaliter onus huiusmodi in se suscipientem, cui etiam adiunxit Dominum Thelayrandum de Petragoriis Episcopum Albanensem Cardinalem, quem Legatum de latere ordinauit secum profecturum. Pro passagij huiusmodi prosecutione fuit pro tunc de consensu vnanimi prædictorum missus dictus Petrus Rex Cypri ad partes Occidentales, causa exhortandi, & inducendi earum Principes, vt vellent se astringere ac disponere ad passagium memoratum. Circa idem verò tempus Ioanna Regina Siciliæ nupsit cum Iacobo Rege Maioricarum, verbo tenus, cùm regnum suum totaliter teneretur per Regem Aragonum. Eodem tempore dictus Vrbanus processus suos fecit contra Barnabonem & Galleacium de Vicecomitibus Mediolani, qui pro tunc occupabant aliquas terras ad ius, & dominium seu proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentes, sed demum interponentibus se

aliquibus, actum est de concordia inter eos. Pro cuius tractatu, & etiam regimine dictarum & aliquarum aliarum terrarum missus est ad partes Italiæ Legatus de latere præfatus Dominus Androinus de Rocha, titulo sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, per cuius ministerium facta fuit pro tunc dicta concordia inter dictum Papam, & dictos Mediolanenses, fuerúntque sibi ipsi & Ecclesiæ reconciliati. Pro tunc etiam fuit quidam nobilis, Alcouianus dictus Adulphus de Marcha, qui mirabiliter, & inauditè Romanam Ecclesiam decepit, eique illusit; fuerat enim per eam primò ad Monasteriensem, & demum ac successiuè ad Coloniensem promotus Ecclesias, quibus cùm aliquandiu præfuisset, licet nondum in sacris constitutus, sed ad Laicalia vota transferens, præfatæ Coloniensi Ecclesiæ cui vltimò præsidebat, renunciauit liberè, matrimonium contrahendo, cui per dictum Vrbanum datus fuit in successorem Engilbertus Leodiensis. C.R. Alemanus.

Anno M. CCC. LXIV. in mensibus Ianuarij, Februarij, & Martij fuerunt quasi generaliter frigora intentissima, gelúque fortissimum, quo adeo tam Rho-

danus, quam alia flumina constricta fuere, quòd super eis equites, & quadrigæ, & multum oneratæ transitum haberent solidum, & securum, durauitque in tantum quod eius nimia rigiditate, seu fortitudine vites, ac arbores fructiferæ, & præsertim amigdali, & oliuæ quamplurimæ fuerunt perditæ, & totaliter mortificatæ, seu desiccatæ, immo & multæ per medium scissæ, & cōfractæ. Eodem tempore sociales quamplurimi totum fere regnum Franciæ, & præsertim in lingua Occitana occupabant, discurrebant, cùm in ipso detinerent loca multa, immò & de die in diem alia nouiter capiebant, pro suæ libito voluntatis, à quibus nec expelli poterant, nec etiam erat, qui eorum posset resistere potestati, fiebantque per ipsos mala & damna infinita in personis, locis, & rebus, tam Ecclesiasticis quàm mundanis. De quibus dictus Vrbanus Papa ad sui notitiam, & auditus perductis, valde doluit, ac regno, locis, & personis ex his afflictis & tribulatis pro affectu cōpatiens eis posse tenus, quantum ad suum spectabat officium, obuiare, & occurrere decreuit, fecitque processus, ac fulminauit sententias contra ipsos eorumque

ſautores & receptatores, ac eis qualitercumque, verbo aut facto participantes, ſiue dantes conſilium, vel iuuamen, miniſtranteſque ipſis quęcumque victualia, aut neceſſaria, quocumque titulo ſiue cauſa hortatuſque, & induxit omnes fideles vt aduerſus eos inſurgerent tanquam contra hoſtes Chriſti, & fidei, immò & totius generis humani, certas etiam indulgentias ſpirituales eos perſequentibus concedendo. Quibus vbique diuulgatis, ipſis per prius fauentes, vt plurimum ſe ab ipſis retraxerunt, ac omnes per eos oppreſſi, & conturbati, aduerſus eos adeò animati ſunt, quod alter alterum non expectando in eos, & loca quæ occupabant vnanimiter ac ſic viriliter & ſubitò irruerunt, quòd plura loca, ad quæ ſe reduxerant, quamquam vt plurimum fortia, immò & aliqua inexpugnabilia ſatis faciliter & cum modicis inſultibus per eos capta ſunt, & demolita, ac demum in eis incluſi trucidati: alij verò per longam obſidionem fame, & ſiti in eis exiſtentes macerati exire, & deſerere ſunt coacti. Sic quod per Dei gratiam, & vt creditur ob merita dicti ſummi Pontificis, actum eſt, quod in ſatis breui tempore ſociales hu-

iusmodi terras, & loca quæ sic per eos opprimebantur cum maximo discrimine dimittere, & se ad alia diuertere sunt cõpulsi: non tamen omnes, cùm eorum quãplurimi gladio, fame, igne, ac inedia fuerunt interempti, prout etiam eorum demerita exigebant, & sic regio prædicta satis vel saltim plus solito, tunc in pace quieuit. Anno eodẽ, die decima septima Ianuarij, obiit Ioannes Rex Frãcorum in Anglia, ad quam redierat, postquam semel fuerat liberatus, & Regi Angliæ suo aduersario pacificatus, causa perficiendi & totaliter exequendi eam quæ inter ipsos pax siue concordia facta fuit, successitque sibi in regno Carolus suus filius primogenitus, tunc Dux Normanniæ, & Delphinus Viennensis, qui eodem anno die decima nona Maij, qua fuit solemnitas Trinitatis, Remis extitit coronatus. Eodem fere tempore Nuncij Romanorum venerunt Auenionem ad prædictum Vrbanum Papam, petierúntque inter alia vt Romam cum sua curia se transferret, qui eorum petitionem benigniter audiuit, dixitque eis circa eam totaliter Deo Duce se facturum, quod ipsi deberent merito conten-

tari, pro tunc tamen circa illud eis aliquid aliud non ſpecificauit. Anno ſequenti, qui fuit LXV. menſe Maij, Carolus Romanorum Imperator venit in Auenionem ad dictum Vrbanum Papam cum magna comitiua Principum, & nobilium Alamannorum, & ornatus inſigniis Imperialibus; per ipſum Papam & Cardinales, fuit valde & honorificè receptus, & die ſancto Pentecoſtes tunc occurrente, dicto Papa ſolemniter celebrante, aſtitit in habitu Imperiali diademate coronatus, in manu dextra ſceptrũ geſtans, *** tandem verò habitis multis colloquiis inter Papam & ipſum, tam ***
ſuper factis Eccleſiæ, quam Imperij, rediit ad propria cum bonis, pace, amore & & fauore Vrbani Papæ prædicti. Paulò poſt receſſum verò dicti Imperatoris, Arnaldus de Seruola vulgariter Archipreſbyter de Verniis nominatus, natione Vaſco adunatis ſibi aliis quam plurimis, tam propriæ, quàm aliarum diuerſarum nationum, tanquam Sociales, Alcouriam CR Alſatiam.
partem Alamanniæ intrauerunt perſonas captiuando, igne & gladio omnia conſumendo, ex quo inter principes, & incolas Alamanniæ commotio ſeu tur-

batio fuit non modica exorta: præsertim aliqui suspicati sunt quod hæc faciebant de consensu, seu conuenientia dicti Imperatoris, aggregatique fuerunt se ad inuicem viriliter resistendum ac impediendum, ne vlterius progrediendo flumen Rheni possent transire. Quod prædicti audientes, scientesque aduersus eos se præualere non posse, retrocesserunt, multis tamen damnis illatis & etiam receptis, & ad partem Galliæ redierunt, vbi satis citò post per aliquos ex suis crudeliter interfectus est Archipresbyter memoratus, prout etiam eius demerita bene exigebant: Et hîc notanter inferendum est, quòd Capitanei talium societatum, vt plurimum morte simili aut crudeliori, tam per prius quàm ex post mortui fuisse referuntur, in quo Deus signanter ostendit, quod malam vitam sectantes seu ducentes ad eam similiter finiendam disponuntur, iuxta illud Euangelicum, qui gladio feriet, gladio peribit, &c. Eodem etiam tempore cùm Leopoldus Dux Austriæ tertio genitus inter suos fratres, filiam Barnabonis de Vicecomitibus Mediolani desponsasset vxorem, Radulphus eius frater primogenitus

C. R secundo genitus.

Mediolani exiſtens de fluxu ventris ſatis inopinatè mortuus eſt, an autem naturaliter vel dolosè multi varij varia ſunt locuti, hoc tamen Dei iudicio relinquatur. Pro tunc etiam Petrus Rex Cypri videns quod paſſagium vltra marinum per prius ordinatum cum Ioanne Rege Franciæ, & aliis ſupra nominatis, progreſſum ſeu effectum habere non poterat, propter dicti Ioannis Regis etiam Cardinalis Legati ad hoc ordinati, obitus, qui paulo ante ſuperuenerant, coadunatis ſibi quam plurimis notabilibus perſonis ad arma doctiſſimis, aggreſſus eſt Alexandrinam ciuitatem, eamque vi armorum cepit, die vndecima menſis Octobris anni prædicti LXV. conſiderans tamen, quòd ipſam diutiùs tenere non poterat, cum ſuus exercitus eſſet ſatis modicus, & impotens ad reſiſtendum infidelibus, qui in manu forti & innumera multitudine aduerſus eum ſe diſponebant, ipſam dimittere decreuit, & priùs bonis ipſius datis in prædam ſuis cõmilitonibus, eam pro maiori parte incendio concremauit, & ſic retroceſſit ad propria. Per idem tempus Philippus iunior inter filios præfati Ioannis Francorum Regis, Margaritam filiam

Ludouici Comitis Flandriæ relictamque Philippi Ducis Burgundiæ duxit vxorem, qui etiam iuris sui partagij à dicto tempore suo in donum habuerat Ducatum Burgundiæ, qui ad ipsum patrem ratione propinquitatis, & successionis deuenerat per obitum dicti Philippi vltimi Ducis, qui obierat nulla ex se sobole relicta: suam autem dictam vxorem respiciebat vniuersalis successio paterna, & auitina, in qua veniebant Comitatus Flandrensis, Burgundiæ, Artesij, Niuernensis, & Restellensis, ac Baronia de Salinis, & idem erat de materna, in qua veniebat Ducatus Brabanciæ post decessum amitæ suæ Ducissæ, de cuius posteritate spes nulla erat. In istorum autem matrimoniali copulatione necessaria fuit Apostolica dispensatio propter consanguinitatem qua satis de proximo iungebantur, quam memoratus Vrbanus Papa gratiosè concessit, licet eam per prius Regi Angliæ in persona vnius ex suis filiis denegasset; in quo nullam sibi fecit iniuriam, cum hoc non à iustitia, sed à sui maxima gratia dependeret, & sic sibi licuit, prout sibi placuit alteri concedere, & sibi denegare: & quod sic factum fuerit à

C R. deest Artesij.

Deo creditur ordinatum. Si enim domus Angliæ ad successiones venisset memoratas, quæ admodum potentes sunt adeoque latæ quod maiorem partem regni circumeunt, aut contingunt, aut domus Franciæ statim ex toto absorpta fuisset, aut in tribulationibus, guerris, & dissensionibus domus vtraque perpetuò remansisset, ex quibus quot mala secuta fuissent indicant illa, quæ huc vsque secuta sunt occasione Ducatus Aquitaniæ, super quo tamdiu ad inuicem disceptarunt. Quibus si modo præmisso dictus Vrbanus Papa occurrere & obuiare decreuit, quod debuit fecit, primo obuiando destructioni regni Franciæ cuius Reges hactenus continuè fuere Romanæ Ecclesiæ manutentores, & speciales deffensores: secundo occurrendo turbationibus, guerris, & dissensionibus iam prætactis, cùm ad suum spectaret officium talibus viam percludere, & eam nullatenus aperire. Per idem ferè tempus fuit prælium inter Carolum de Blesis, & Ioannem Comitem de Monteforti super Ducatu Britanniæ contendentes, in quo dictus Ioannes victor extitit, & præfatus Carolus occisus, de cuius canonizatione

demum inſtantiſſimè actum eſt ad Regis Franciæ procurationẽ, cùm fuerit homo multũ virtuoſus, honeſtę conuerſationis, & laudabilis vitę, ferebatúrq; tam viuens, quàm mortuus multis miraculis coruſcare. Ducatum tamen prædictum per ipſum tunc vſque pro maiori parte poſſeſſum ab inde obtinuit, Ioannes memoratus per Regem Angliæ ſubfultus & adiutus. Dicto etiam tẽpore currente Amedeus Comes Sabaudiæ Galliopolim ipſam eripiens de manibus Turcorum, quam demum tradidit Imperatori Græcorum conſanguineo ſuo. Per idem etiam tempus præfatus Vrbanus Papa publicauit ſeu manifeſtauit ſuam intentionem ſuper acceſſu ſuo & tranſlatione Curiæ verſus Romam, deſtinauitque certos Nuncios, tam Viterbium vbi primo declinare, & aliquamdiu morari intendebat, quàm Romam, cauſa diſponendi, & ordinandi neceſſaria, reparandique ſua Palatia, & libratas pro Dominis Cardinalibus diuidendi: & ad hæc aſsignauit, ſeu ordinauit terminum tempus Paſchale immediatè poſt ſecuturum. Eodem anno, qui pro tunc currebat M.CCC.LXVI: dictus Vrbanus Papa die XVIII. men-

ſis Septembris, quæ fuit feria ſexta Quatuor Temporum tres creauit nouos Preſbyteros Cardinales, videlicet Dominos fratrem Guillermum Sudoris diocefis Tutellenſis, Ordinis Prædicatorum, tunc Epiſcopum Maſsilienſem, Angelicum Grimoardi fratrem ſuum tunc Epiſcopum Auenionēſem ſupra nominatum, & fratrem Marcum de Viterbio Italicum, tunc Generalem Magiſtrum Ordinis Minorum. Poſtea verò circa principium anni LXVII. iuit ad Montēpeſſulanum cauſa videndi & viſitandi Monaſterium quod in honorem ſanctorum Benedicti & Germani à ſolo ſuis magnis ſumptibus ædificauerat, & ſolemniter dotauerat pro ſuſtentatione certi numeri Monachorum, iam per eum ibidem inſtituti, & ordinati, partim vt diuinis inſiſtant officiis, & partim in litterarum ſtudiis vacent pariter & intendant, ipſe enim pro tunc in propria altare maius Eccleſiæ huiuſmodi Monaſterio conſecrauit, magnis priuilegiis decorauit, & multis reliquiis, ornamentis, & iocalibus pretioſis adornauit. Per eadem tempora cùm Petrus Rex Caſtellæ in ſuos inhumaniter deſæuiret, nunc vnum iugulando, & quem-

que suis bonis spoliando, & aliàs generaliter eos persequendo, eiusque furore perterriti quamplurimi à suo regno exularent, essetque odium innatum, immò irradicatum inter eos, saltim pro maiori parte, fuit tractatus habitus vt expelleretur à regno suo. In quo consentientibus multis tam nobilibus quàm Ecclesiasticis, & particularibus, fuit vocatus, introductus & admissus in Regem Henricus Comes de Trastamara suus frater naturalis, qui pro tunc à facie eius fugiens tanquam profugus hinc inde vagabatur, qui satis citò sequaces multos habuit, & quasi ex toto obtinuit dictum regnum, & cùm dictum Petrum Regem persequeretur, & ille pro tunc non haberet ad quæ confugeret, cùm per prius fere omnibus fuisset plusquam hostis, & capitalis inimicus, clam habuit regnum ipsum deserere, venitque ad Regem Angliæ, & Odoardum Principem Valliæ ac Aquitaniæ primogenitum suum, thesauros innumerabiles secum ferens, petens eorum consilium & iuuamen. Qui mediantibus thesauris prædictis secum confœderati sunt, sibique fauoribus & auxiliis opportunis asistere promiserunt, pro

quorum maiore firmitate dedit duas filias suas, quas secum duxerat, in coniuges duobus filiis Regis Angliæ memorati, ordinauitque earum primogenitam, quam recepit Ioannes Dux Lencastriæ sibi debere succedere in suo regno, vbi ipsum decedere contingeret sine masculo legitimo & naturali. Quibus peractis Odoardus Princeps prædictus cum magno exercitu armatorum ipsum secum ducens dictum regnum intrauit, dictoque Henrico victo in prælio, fugæ tamen præsidio liberato, vi armorum intra paucos dies ipsum ad statum suum dictique regni sui regimen restaurauit, & sic ipso ibidem relicto triumphator gloriosus ad propria remeauit. Circa idem tempus vacauit Ecclesia Cassinensis, quam dictus Vrbanus Papa ad Abbatiam reduxit, prout antiquitus fuerat vsque ad tempus Papæ Ioannis XXII. qui eam in sedem Episcopalem erexit, ad quod faciendum dictus Vrbanus motus fuisse dicitur vt religio Monachorum, quæ ibidem exordium habuit, ibi melius seruaretur, æstimauit posse fieri sub Abbatis regimine, quàm Episcopi conuenienti modo. Eodem, anno scilicet LXVII.

die vltima mensis Aprilis præfatus Papa recessit de Auenione gressus suos dirigens versus Romam. Et cum applicuisset Massiliam, declinauit ad Monasterium sancti Victoris, cui dudum præfuerat, quod cum prius esset vetustate consumptum minareturque ruinam in multis, à quo ad Papatum assumptus fuerat, multimodis fecerat renouari & reparari, murisque ac turribus altis claudi, circui & fortificari, magnis etiam priuilegiis decorauerat, & multis adornauerat reliquiis, iocalibus & ornamentis pretiosis. Ibidem insuper existens, die videlicet duodecima mensis Maij anni prædicti, assumpsit in Presbyterum Cardinalem Guillermum de Agrifollio decretorum Doctorem, tunc sedis Apostolicæ Notarium, iam sacerdotem: de quo non modicum quamplurimi fuerunt admirati, cùm esset satis iuuenis nondum attingẽs annum XXVIII. ætatis suæ, & de eius promotione, saltim ad illum statum pro tunc nullatenus speraretur; sed ad hoc faciendum motus fuisse dicitur consideratione Domini Guillermi de Agrifolio senioris, titulo sanctæ Mariæ in transtyberim Presbyteri Cardinalis, cuius ipse

Papa

Papa socius & familiaris fuerat cum in minoribus existebat, & qui post Deum suæ dictæ assumptionis dicebatur fuisse præcipuus promotor, & auctor, cuius dictus Dominus Guillermus nepos existebat, qui etiam in studio, in quo à sua adolescentia vsque tunc versatus fuerat bonæ famæ, vitæ laudabilis, & conuersationis honestæ, & inter alios suos coætaneos satis esse sufficiens cõmuniter ferebatur, eratque speciosus forma, statura decorus, & aliàs bene dispositus ad omne bonum. Die verò vigesima dicti mensis idem Vrbanus Papa de Massilia exiens intrauit mare cum mirabili apparatu galearum, & aliorum nauigiorũ, de quibus honorificè valde sibi prouiderat Ioanna Regina Sicilię, Veneti, Ianuenses, & Pisani, iterque suum persequens, die quarta sequenti prosperè applicuit Ianuæ, vbi fuit tam in portu, quàm ciuitate, per Ducem & ciues solemniter receptus, & debitè honoratus. Et quia pro tunc erant dies Rogationum instabatq; dies Ascensionis Domini, ibidem per illos remanere decreuit, & interim equitando per dictam Ciuitatem, Ecclesiam maiorem visitauit, & demum pro sua mansione des-

cendit ad domum S. Ioannis Hierosolymitani, in cuius Ecclesia in dicta die Ascensionis Domini solemniter celebrauit. Et in crastinum iter suum continuando abinde discessit, relicto ibidem Domino Fratre Marco de Viterbio titulo sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali pro sedãdis guerris & dissensionibus, quæ pro tunc vigebãnt inter dictam Ciuitatem, & Bernabonem de Vicecomitibus Mediolani, & diuino sibi assistente præsidio peruenit fœliciter ad portum seu plagam Corneti die quarta mensis Iunij subsequentis circa ortũ solis. Vbi mari exiens sibi obuiam habuit Dominum Egidium Aluari Hispanum, Episcopum Sabinẽsem Cardinalem, tunc sedis Apostolicæ Legatum in Prouinciis illis, comitatum fere omnibus nobilibus & magnatibus terrarum Ecclesiæ, ac Prælatis, & aliis quamplurimis armatis, aut inermibus, prout eorum cuiuslibet conditio seu qualitas exigebat. In litore autem parata fuerunt tentoria, tam de pannis sericeis, quàm frondibus seu ramis arborum virentium magna amœnitatis decora, quæ cùm dictus Pontifex fuisset ingressus, ac in ipsis aliqualiter conuenisset, parato ibi-

C. R. seu plagium çorti.

dem Altari Miſſam cum nota ſolemniter fecit coram ſe decãtari, qua finita equum aſcendit, venitq; Cornetũ hora prandij ad domum Minorũ declinando, vbi manſit vſque in craſtinum diei inſtantis Pentecoſtes, in qua ipſe ibidem ſolemniter celebrauit, veneruntque ad eum ſolemnes Nuncij Romanorum pro eorum parte ſibi plenum dominium vrbis offerentes, ac claues ſancti Angeli per ipſos prius detenti ſecum deferentes. Ab inde autem recedens die nonâ dicti menſis intrauit Viterbium, vbi fuit cum magno gaudio & ſolemnitate receptus: venerunt ad eum ibidem paulopoſt tam Domini Cardinales, qui poſt eum per terram iter ſuum proſecuti fuerant, quàm vniuerſaliter nobiles, & magnates, Prælati, & cõmunitates partium Italiæ de ſuo aduentu gaudentes. Die autem XXIIII. menſis Auguſti immediatè ſuum dictum aduentum ſubſequenter obiit in Viterbio, præfatus Dominus Egidius Aluari Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis, vir vtique memoriæ laudabilis, immò etiam indelebilis in æternum: fuit namque Legatus in dictis partibus continuè ferè per quatuordecim annos: & licet à principio

reperierit ciuitates, loca, castra, & terras, quæ ad dominium, ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ spectabant, sub manibus consistere: Montisflasconis & de Montefalco dumtaxat exceptis, tamen diuino fretus auxilio sic operatus est nunc per tractatus amicabiles, nunc verò per insultus hostiles, quòd fere omnia ad obedientiam dictæ Ecclesiæ suo tempore suoque ministerio reducta: in quibus etiam castra, rochas & alias munitiones, vt plurimum aut nouiter fecit ædificari, aut quæ hactenus imposterum in deffensionem fidelibus, rebellibus verò ad offensionem & terrorem. Fuit insuper homo admodum virtuosus, literarum scientia præditus, in agibilibus multùm circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus, ac in factis armorum non obmissa Pontificali decentia, valde edoctus, & expertus, sciuitque in omnibus sic, & taliter se gerere, quod in tota Italia viuens amabatur, aut saltim timebatur. Ipse de bonis à Deo sibi datis, constituit, dotauit, & fundauit Bononiæ vnum solemne Collegium pro pauperibus scholaribus regionis suæ: plura alia bona fecit pro salute animæ suæ: eius

obitus fuit multum toti Ecclesiæ damnosus, & præfato Vrbano Papæ displicibilis, & dolorosus, præsertim in sui dicti aduentus principio, cùm speraret in suis agendis per eum in plurimum dirigi & iuuari. Post verò paucis elapsis diebus fuit rumor in Viterbio, insurrexerunt enim ciues contra curiales, domusque aliquorum Cardinalium hostiliter inuaserunt, propter quod, tam illi quàm fere alij omnes Italicis exceptis pro sui securitate se reduxerunt in Palatio cum Papa, vbi manserunt per tres dies quibus durauit dictus rumor. Tandem verò dicti ciues se malè egisse cognoscentes, ac misericordiæ, & voluntati Papæ se submittentes, in signum emendæ, & culpæ recognitionis, omnia arma dictæ ciuitatis cum catenis quibus carceriæ claudebantur ad dictum Palatium portauerunt, erectisque patibulis in locis in quibus huiusmodi rumor ortum habuerat, aut magis inualuerat, in eis culpabiliores suspenderunt, & sic Papa cum ipsis nunc agens eis pepercit, rumorque cessauit, nec ex tunc aliquid mali contra dictos curiales egerunt. Dicto etiam tempore currente Dominus Suggerius Gomerij

Archiepiſcopus Compoſtellanus, concertatus cum Vaſſallis ſuper iuribus Eccleſiæ ſuæ fuit per eos crudeliter interfectus, cum aliquibus officiariis ſuis. Dicto Vrbano adhuc Viterbij exiſtente, venerunt ad ipſum memoratus Amedeus Comes Sabaudiæ Patriarcha Conſtantinopolitanus, & aliqui alij viri notabiles miſſi pro parte Imperatoris Conſtantinopolitani pro ſui parte eidem Papæ promittentis ipſum rediturum ad Romanæ Eccleſiæ vnitatem, & ſuper hoc breuiter perſonaliter venturum ad ipſum Papam. Qui Papa de Viterbio recedens die decima ſexta menſis Octobris Romam intrauit, occurrēte ſibi Clero & populo Romanis, ipſumq; ſolemniter recipientibus cum magno gaudio, ac demum laudantibus de iucundo aduentu ſuo: poſtquam verò in Eccleſia beati Petri ſuam fecit orationem, in Cathedra Papali fuit more ſolito collocatus, declinauitque ad Palatium ſuum dictæ Eccleſiæ contiguum, quod prius vetuſtate ac in habitatione, quaſi conſumptum, & diruptum, ſaltim quoad tecta opere mirabili fecerat renouari. Die verò vltima dicti menſis, quæ fuit dies Dominica in Vigi-

lia Omnium Sanctorum, primum in Altari beati Petri solemniter celebrauit, & ibidem consecrauit in Episcopum Sabinensem prænominatum Dominum Guillermum de Agrifolio, qui longis temporibus ante non consecratus titulo sanctæ Mariæ in transtyberim Presbyter extiterat Cardinalis. In dicto autem Altari à tempore Bonifacij Papæ VIII. non fuerat celebratum, propter summorum Pontificum, qui in ipso tamen sunt soliti celebrare, absentiam diutinam. Satis citò post introitum suum in Roma præfatus Vrbanus Papa constituit Vicarium Generalem pro regimine terrarum Ecclesiæ, præfatum Dominum Anglicum Grimoardi iam per eum factum Episcopum Albanensem fratrem suum, quem hac de causa destinauit Bononiam, voluitque quod ibi suam continuam faceret mansionem: destinauit insuper dictum Dominum Guillermum Sabinensem Episcopum Cardinalem ad partes Neapolitanas causa sedandi discordias, & guerras pro tunc vrgentes inter Principem Tarentinum & Ducem Andriæ, ex quibus fere tota illa regio mirabiliter turbabatur. Anno Domini M.

CCC. LXVIII. iam inchoata, die prima mensis Martij, dictus Vrbanus Papa venit ad Ecclesiam Lateranensem, vbi cùm in crastinum in sancta sanctorum Missam celebrasset, capita sanctorum Petri & Pauli quæ annis multis fuerant recondita, & sub Altari in quo Missã celebrauerat clausa, seruata, ascendens amphitheatrum dictæ Ecclesiæ ad communem plateam aspectum habens, toti Romano populo sibi astanti exhibuit & ostendit, & cum thecæ seu capsæ in quibus pro tunc erant reposita, essent satis modicæ, & parui valoris, ex tunc alias nouas ordinauit fieri pretiosiores. Ab inde verò ad Palatium remeauit pacificè, & quietè per vrbem equitando, rectamque viam tenendo, nec obliquauit hic & inde, etiam occasione illius fatuæ mulieris, quæ aliquamdiu Papatũ dicitur occupasse, & in eadem via abortum faciendo peperisse refertur, quemadmodum aliàs nonnulli ex suis prædecessoribus fecisse leguntur. Præterea eodem mense ad ipsum Romam venerunt Ioanna Regina Siciliæ, & Petrus Rex Cypri superiùs nominati, & cum tũc occurrerit Dominica Lætare Ierusalem, in qua consueuit dari per Papam

roſa aurea viro nobili tunc in Curia exiſtenti, dictam roſam memoratæ Ioannæ, tanquam nobiliori, maiori, & excellentiori, licet vir non exiſteret, dedit, Regi prædicto ipſam in hoc præferendo, quæ more ſolito demum cum Cardinalibus, & aliis nobilibus per vrbem equitauit. Eodem anno tempore æſtiuo inſtante, idem Vrbanus deliberauit ſe transferre ad Montemflaſconis, vbi aër purus eſt, & ſanus, fecitque eius Palatium vtique ſatis pro tunc ruinoſum, collapſum, & deforme, reparari, renouari, & mirabiliter adaptari, ac nouis officinis decorari: & cùm locus ipſe non haberet aquas potabiles niſi ciſternales ab intra, in medio villæ puteum magnum & altum fodi & fieri fecit aquam abundantem profe-rentem. Cúmque ad dictum locum perueniſſet, adeo in proprio delectatus eſt, quòd moram ſuã in ſe velle facere, etiam in æſtatibus futuris ordinauit, audientes tamen cauſarum in Viterbio reſidentes, cùm locus ipſe pro tota Curia non exiſteret bene capax. Volens inſuper locum ipſum per amplius honorare, ſedem Epiſcopalem in ipſo conſtituit, Eccleſiam Collegiatam in honorem beatæ Mar-

garitæ dedicatam, eiuſdem loci matricem in Cathedralem erexit, ac iuriſdictione & ſubiectione Epiſcopi Balneo Regenſis, de cuius dioceſi per prius erat, ipſum eximēdo ſubtraxit, eidem nouum Epiſcopum præficiendo. Eodem anno die XXVI. menſis Iulij obiit in dicto loco Dominus Nicolaus de Capocia Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Romanus, vir vtique magnæ literaturæ, zelator, maximus Iuſtitiæ, & pauperum continuus ſuſtentator, diebus enim ſingulis per Hoſpitalia panem, vinum, & alia cibaria in domo ſua præparata abundanter faciebat diſtribui, & pauperibus miniſtrari, vltraq; de ipſo duo laudabilia notanter referuntur. Primò quod in conſiſtoriis & conciliis ſic liberè & intrepidè locutus eſt, quod propter neminem ſiue præſentē ſiue abſentē obmiſit dicere illud, quod ſua conſcientia ſibi dictabat. Secundò cùm eſſet valde praticus in deciſione, & proſecutione cauſarum amore Dei, & pietatis intuitu pauperibus litigātibus, quos ſciebat iuſtas fouere cauſas, conſilia dabat, eorum proceſſus videbat, poſitiones & articulos ac alia eis ad hoc opportuna, dictabat, formabat, & ordinabat, ſalaria

etiam Notariorum, Procuratorum, Aduocatorum de proprio miniſtrabat, & etiam quæcumque victui neceſſaria, ſecundùm quod eorum inopiæ exigebant. De bonis etiam à Deo ſibi datis, in ſtudio Pariſienſi fundauit, & dotauit notabile Collegium pauperum ſcholarium, quod ſanctæ Sophoniæ voluit nominari fecitque etiam multa bona Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Maioris de vrbe, vbi iacet miraculis coruſcando. Eodem anno ex ordinatione Apoſtolica, & voluntate dicti Vrbani Papæ, corpus ſancti Thomæ de Aquino, quod à tempore obitus ſui tumulatum remanſerat in Monaſterio Foſſæ nouæ Ordinis Ciſtercienſis, vbi deceſſit, tranſlatum fuit ad conuentum Prædicatorum Tholoſæ, vbi per miniſterium Heliæ Raymundi tunc Generalis Magiſtri dicti Ordinis, qui idem corpus in Præfato Monaſterio, licet cum Mauchla, prius erexerat, fuit ſibi ſepulchrum miræ pulchritudinis præparatum, habetur ibi vſque in præſens tempus in magnis deuotione, & veneratione. Eodem etiam anno in die Natiuitatis B. Ioannis Baptiſtæ, dictus Vrbanus Papa de cõſilio Cardinaliũ Fratrũ ſuorũ ordinauit, quod

C. R. S. Sophiæ.

C. R. à præf. m. licèt cum inani gloria prius extraxerunt.

Missa dictæ Festiuitatis, & per Octauas eiusdem diceretur in antea Credo in Deum, quod per prius non fiebat secundùm antiquas regulas: licet enim non fuerit de numero Apostolorum, non tamen reputandum est ipsis fuisse minor, & sic eius festiuitas in hoc non debet minus honorari. Eodem anno die XXII. mensis Septembris, quæ fuit feria sexta Quatuor Tēmporum, præfatus Vrbanus Papa in Monteflasconis Dominos Guillermum Iudicis sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Stephanum Alberti sanctæ Mariæ in Aquiro antiquos Diaconos Cardinales, in Presbyteros ordinauit; & etiam die septima alios in Presbyteros Cardinales nouiter assumpsit, videlicet Dominum Philippum Cabacolæ, Auenionensem, tunc Patriarcham Hierosolymitanensem, Simonem de Langari Anglicum, tunc Archiepiscopum Cantuariensem, Monachum Ordinis sancti Benedicti, Bernardum de Bosqueto Caturcensem, tunc Archiepiscopum Neapolitanum, Ioannem de Normannis Gallicum, tunc Episcopum Beluacensem & Cancellarium Regis Franciæ, Stephanum de Parisius Gallicum, tunc Episcopum Pari-

C. R. die XII.

C. R. & etiam sex alios.

C. R. Cabassolbe.

C. R. de Dormãnis.

ſienſem, Petrum de Banhaco dioceſis Lemouicenſis, Abbatem Montiſmaioris, & Franciſcum de Cabaldeſis Romanum, tunc Priorem Baſilicæ ſancti Petri de Vrbe. Eodem anno Leonellus filius ſecundogenitus Regis Angliæ Dux Clarenciæ duxit in vxorem filiam Galiacij de Vicecomitibus Mediolani, venitque ad Ciuitatem Papienſem in qua modico tempore poſt ſuperuixit. Eodem anno de menſe Octobri Carolus Romanorum Imperator venit Viterbium ad dictum Vrbanum Papã, ad cuius requeſtam cum magno exercitu intrauerat Italiam, inuaſores & occupatores terrarum Eccleſiæ, & Imperij, oppreſſurus, veniensque Veronam cum nobilibus de Schala pecuniis, & pactis interuenientibus deliberauit, deinde contra Mediolanenſes acies ſuas direxit, ſed tandem nihil profecit. Propter quod iter ſuum continuare habuit verſus dictum Papam, quem cùm Viterbij vt præmittitur adiiſſet, ex ordinatione mutua verſus Romam eum præceſſit, ipſumque poſt ſequentem expectauit in introitu vrbis, ibi ſcilicet in porta quæ eſt iuxta caſtrum ſancti Angeli, de ſuo equo deſcendens ſtratoris vi-

C R. de Banihaco.

C.R. Carolus filius.

C. R & oppreſſores debellaturus.

C R cõcordauit.

cem geſſit, ac vſque ad Baſilicam beati Petri pedeſter equi Papæ frænum tenens ipſum deſtrauit, ac demum vſque ad Altare maius deduxit, manſitq; in Roma

C R. Imperatoris, quē.

ſpectando aduentum Imperatricis, quam demum die omnium Sanctorum in Altari beati Petri dictus Vrbanus Papa per prius

C R inunctum.

inunctam per Epiſcopum Oſtienſem Cardinalem, prout moris, coronauit. Quo facto dictus Imperator ſatis citò poſt receſſit de Vrbe verſus

C. R. Boemiā.

Boniam dirigens greſſus ſuos, ſecumque duxit ex ordinatione Papæ Dominum Guidonem de Bolonia Epiſcopum Portuenſem Cardinalem, quem deſcendendo de Italia ſuum Vicarium conſtituit,

C R. Lacha.

& in Lucha ſuam manſionem ordinauit. Dicto etiam anno die tertia menſis Decembris, quæ fuit prima Dominica Aduentus Domini,

C R cui nomen ſ. Carolus ſuum impoſitum.

natus eſt Carolus Regis Francorum filius cui nomen impoſitum eſt, fuitque de eius natiuitate magnum gaudium toti regno ſuo, cùm pro tunc nulla ſpes eſſet, quod ipſe vlterius prolem eſſet habiturus. Anno M. CCC. LXIX. die XV. menſis Aprilis Romæ dictus Vrbanus Papa canonizauit, & Sanctorum Confeſſorum catalogo annotauit, ſan-

ctum Alziarium quondam Comitem Anciani natione Prouincialem, multis & magnis miraculis coruscantem, in cuius commemorationem fecit sermonem valde solemnem, & audientibus multum vtilem, & ædificatiuum. Eodem currente tempore contigerunt magnalia, immò & terribilia fere in toto mundo, nam Ludouicus Dux Andegauensis tunc locum tenens Regis Franciæ in partibus Occitanis, conatus est vsurpare Prouinciæ Comitatũ, hostiliter inuasit, ac per Rhodanum obsedit, & demum cepit locum de Tarasco, ab inde vlterius progredi, & procedere intendens in vsurpatione memorata, sed per meditationem dicti Vrbani Papæ, qui per Nuncios suos circa hæc se interposuit, à suo huiusmodi proposito totaliter destitit, & locum prædictum dereliquit. Henricus etiam Comes de Trastamara frater naturalis Petri Regis Castellæ, qui, vt supra scriptum, bello victus in fugamque conuersus Regnum Castellæ, quod semel vsurpauit, fuerat compulsus exire, viribus resumptis, coadunatis sibi aliis quam plurimis ad bella doctissimis, præsertim illis, quos dictus Rex Francorum sub ducatu

C. R. Aziani.

C.R. Carolus.

C. R. de Clachin. militis incliti Bertrandi de Clayo Conestabularij sui, in eius subsidium & adiutorium ordinauit, regnum prædictum reintrauit, dictumque Petrum Regem propter sui tyrannidem ac atrocitatem innumeras quas inhumaniter in suos diutius exercuerat, paucos sibi fideles habebat, adeò viriliter & intrepidè persecutus est, quod satis citò ipsum cepit, & manibus propriis interfecit, & ab inde regnum ipsum obtinuit, & possedit, nomen regni sui assumendo, nec fuit in his, qui non sibi tunc applauserit, vel saltim attentauerit suæ resistere potestati, & sic hæreditas Isaac ad Ismaëlem est perducta, quod ad iustè, vel iniustè est discernere, cuius iudicia sunt abyssus multa. Petrus insuper Rex Cypri supra sæpius nominatus, qui vltra omnes Reges & Principes suos contemporaneos ad recuperationem & acquisitionem Terræ Sanctæ aspirauerat, & ad hoc alios multos incitauerat, & induxerat pro viribus suis, quam infideles multis modis expugnauerant, totus etiam bonus, virtuosus, & animosus, velut alter & iustus Abel, vel Ioseph innocens per operationem, & machinationem fratrum suorum, fuit malitiosè,

litiosè, & crudeliter interemptus. Fuit præterea denuò suscitata guerra inter Reges Franciæ, & Angliæ, occasione resorti seu superioritatis Ducatus Aquitaniæ, in quo absque huiusmodi recognitione pro tunc dominabatur Edoardus Princeps Valliæ, qui in signum denegationis superioritatis huiusmodi etiam se Principem Aquitaniæ faciebat nominare, cúmque etiam per ipsum aut officiarios suos in dicto Ducatu grauamina inferrentur, non erat qui pro timore præsumeret, aut quomodolibet appellare. Si quis enim hoc attentaret grauissimè puniebatur personaliter, vel in bonis, ex quo Prælati, magnates, nobiles, communitates, & generaliter omnes dicti Ducatus se meritò grauari æstimantes, & amplius imposterum grauari formidantes, quasi communicato consilio pro maiori parte deliberauerunt præmissis possetenus obuiare; habueruntque recessum ad Regem Franciæ, petentesque, vt pro sui & eorum conseruatione ipsorum appellationes vellet admittere, eosque appellantes protegere, & defendere loco & tempore opportunis, qui eorum votis annuens, eorum appellationes ad-

mittere eosque protegere, & tueri promisit. Quibus ad sui notitiam perductis, dictus Edoardus fuit turbatus vehementer, indignatusque grauiter contra suos subditos memoratos, quos occasione huiusmodi incepit multis modis prosequi & hostiliter impugnare, qui sibi resistere non valentes, aduersùs eum, consilium & auxilium expetierunt dicti Regis, volentes etiam sub dominio ipsius remanere, ne forte imposterum eis deteriora contingerent, se ex toto sibi submiserunt, reddiderunt, & tradiderunt, quos ipse gratiosè recepit, & ad eorum deffensionem se disposuit, & parauit per ministerium Ludouici Regis Andegauensis, fratris sui supranominati; fueruntque occasione huiusmodi in dicto Ducatu hinc inde insultus varij, locorum captiones, cædes hominum, & alia mala, & discrimina infinita. Anno etiam prænominato, scilicet LXIX. ad dictum Vrbanum Papam Romæ existentem, accessit Ioannes Palæologus Imperator Græcorum, fuitque receptus honorificè, ac tractatus per dictum Papam & Cardinales, paulominus quemadmodum si fuisset Imperator Romanorum, qui demum fuit

reductus ad Romanæ Ecclesiæ vnitatem, iurauitque eidem perpetuò obedire, ac fidem ipsius seruare in futurum: super quo certam Græcè & Latinè conscripsit, & sua bulla aurea sigillauit, quam in Archiuis Ecclesiæ conseruandam dicto Papæ assignauit; quo expedito paulò post ad propria remeauit, de dicto Papa, à quo gratias, & fauores multos reportauerat, valde bene consolatus, & contentus. Per idem tempus præfatus Vrbanus Papa tam spiritualiter processus, & sententias fulminando, quàm temporaliter ipsos manu armata expugnando, processit contra Perusinos, eorúmque territorium, pro eo quòd sibi & Romanæ Ecclesiæ obedientiam denegando, se ab eius dominio ad quod pertinent, malitiosè subtrahebant, cuius occasione & ipsi multa mala passi sunt, & etiam certas turres, & loca dictæ Ecclesiæ eius conuicinis intulerunt, & præsertim cùm per satellites suos discurrerunt ante Viterbium, dicto Vrbano ibidem existente; in cuius opprobrium multa ignominiosa, & aliàs ferè inaudita perpetrarunt, Deus tamen eorum demum iustus vindex extitit, nam ipsorum patratores tandem mala morte

perierunt. Memoratus etiam Vrbanus Papa anno ſeptuageſimo currente volēs, quòd in Monaſterio Caſſinenſi, in quo, vt ſupra memoratum, religio Monachorum nigrorum ex inſtitutione, & ordinatione beati Benedicti ſuum quaſi ſumpſit exordium, vigeret præcipuè, eſſentque religioſi in ipſo vitam exemplarem ducentes, quemadmodum aliàs extiterat; poſtquam de Epiſcopali dignitate, ipſum ad Abbatialem reduxit, tria fecit. Primò quia erat quaſi collapſum in ædificiis, quæ propter terræ motum erant pro maiori parte dirupta, ipſum fecit reparari, & reædificari, & in hoc voluit exponi prouentus ipſius, quamdiu vacauit. Secundò aduocauit Monachos, & collegit religioſos & deuotos de diuerſis aliis monaſteriis, in quibus ſciebat vitam Monaſticam meliùs, & ſtrictiùs obſeruari, quos ibidem inſtituit, & ordinauit perpetuò reſidere; amotis abinde pluribus vagabundis, & inſolentibus, qui vitam ſecularem potius, quàm regularem erant ibi ſoliti obſeruare. Tertiò deliberauit eidem in Abbatem præficere aliquem, qui iuxta Regulam beati Benedicti viuens ad ſic viuendum præfatos Monachos ſuo

exemplo alliceret, & etiam compelleret, vbi ad contrarium eos inclinatos inueniret; & cum licet diutius perquisitum talem iuxta ſuum votum in Cœnobiis Monachorum nigrorum non inueniret, ne in ſuo huiuſmodi ſancto deſiderio fruſtraretur, ad habendum fratrem Camaldulenſium ſub Regula eadem Domino famulantium aſpectum habuit, in quo quod optabat adinuenit, virũ videlicet qui totus erat deuotus, orationi & lectioni aſſiduæ deditus, & aliàs Dei ſeruitio ſemper intentus, beneque morigeratus, & in agendis circumſpectus, qui etiam omni tempore, ab eſcis carnium abſtinebat, alias inſuper abſtinentias ordinationeſque Monaſticas iuxta præcepta, & inſtituta dictæ Regulæ indefectibiliter obſeruabat, de quibus ipſe plenè informatus, eum ad ſe vocauit, & licèt ſatis inuitum & renitentem, eidem Monaſterio præfecit in Abbatem, & ad perſeuerantiam in bonis operibus, ac cum timore Domini officium ſibi creditum ſollicitè, & debitè exerceret, ipſum charitatiue, & dulciter admonuit: qui tam onus ſibi impoſitum quàm monita huiuſmodi humiliter ſuſcipiens, Monachos

C. R. ad heremũ.

sibi subditos ad similiter viuendum induxit, & in debitis, religione, & obedientia tenuit, Monasterium ipsum pro tunc satis in spiritualibus, & temporalibus reformatum in statu debito conseruauit, deditque formam, & aperuit viam suis successoribus, & posteris, vt similia facerent in futurum. Eodem anno cùm dictus Vrbanus Papa iam fecisset fieri seu fabricari imagines seu statuas pro conseruandis capitibus beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, quæ erant de auro, & argento mirabiliter operatæ, ornatæque multis gemmis, & lapidibus pretiosis, valorque earum communi æstimatione esset ad XXX. M. florenorum & vltra, deuotè & solemniter astantibus multis personis, magnis, & notabilibus, capita dictorum sanctorum reponi & includi fecit infra ipsas, quæ etiam demum fuerunt processionaliter & publicè, vniuersis clero & populo Romanis ad hoc conuocatis, præsentibus etiam aliquibus dominis Cardinalibus & Prælatis per vrbem deportatæ, & demum collocatæ supra Altare Lateranense in loco seu alto & eminenti ciborio super quatuor columnas marmoreas, ad hæc specialiter

C. R. eminenti altaris super.

mirè opere præparato magniſque & fortibus ianuis ferreis circumdato. Adueniente inſuper tempore æſtiuo anno prædicto, idem Vrbanus recedens de vrbe, vadenſque ad Montemflaſconis, declinauit Viterbium, vbi primum palam publicè manifeſtauit ſe velle redire de proximo ad ciuitatem Auenionenſem, & vt omnes curiales ad hoc ſe diſponerent ferias indixit à principio menſis Iunij, tunc inſtantis, vſque ad principium menſis Octobris poſtea ſecuturi, & ad hoc faciendum dixit ſe eſſe motum, inclinatum præcipuè, & inductum, pro eo quod ex vna parte videbat regionem illam pro tunc eſſe ſatis in pacifico, & tranquillo ſtatu, & ſi quid fortaſſis eſſet diſſenſionis, illud ſperabat breuiter, & ante diſceſſum ſuum pertractatum, aut aliàs debitè terminari: ab alia verò audiebat mala quæ continuè fiebant, & maiora fieri ſperabantur, occaſione guerræ nouiter ſuſcitatæ, & exortæ inter Reges Franciæ, & Angliæ memoratos, quibus vt obiuiare poſſet, multum inerat menti ſuæ, eratque intentionis ſibi Domino fauente, circa huiuſmodi guerræ ſedationem totis viribus laborare, & inten-

dere etiam in propria ad dictos reges accedendo hac de causa, vbi aliàs super hoc se non posse proficere reperiret. Eodem anno die sexta mensis Iunij, quæ fuit feria sexta Quatuor Temporum post Pentecosten, in Monteflasconis idem Vrbanus creauit duos nouos Cardinales, videlicet Dominos Petrum de Scanno diocesis Ruthenensis, Monachum Ordinis sancti Benedicti tunc Archiepiscopum Bituricensem, & Petrum de Corsinis Florentinum tunc Episcopum Florentinum. Dicto autem Domino Petro de Scanno, cui iam titulum sanctæ Mariæ in transtyberim assignauerat Vicario in patrimonio & aliquibus circum adiacentibus Prouinciis ordinato, idem Vrbanus iter suum arripiens mare intrauit in Corneto die quinta Septembris, vbi inuenit galeas, & nauigia ad excellentiam, de quibus cum magna excellentia & apparatu sibi prouiderant Reges Franciæ, & Aragonum, Regina Siciliæ, Ciuitas Auenionensis, & Prouinciales, sicque diuino sibi assistente præsidio iter suum continuando Massiliæ fœliciter applicuit, & XXIIII. Auenioni, vbi cum gaudio, & exultatione maxima receptus est.

C.R. de Stagno.

C.R. ad sufficientiam.

C R. die 16 dicti mensis & 24.

Eodem tempore ciuitas Lemouicensis, quæ nouiter subtrahendo se ab obedientia & dominio Edoardi Principis Valliæ, & Aquitaniæ, dominio Regis Franciæ se submiserat, secundùm quod fecerant fere omnes ciuitates aliæ, & loca notabilia dicti Ducatus, obsessa fuit per dictum Principem, & tamdiu viriliter expugnata, quòd tandem vi, & potentia armorum per eum capta fuit, cum omnibus in ea existentibus, tam incolis quàm aliis, qui pro sui tuitione ad eam confugerant, ac multis notabilibus hominibus qui pro eius succursu & adiutorio, illuc aduenerant, fuitque demum totaliter demolita, & destructa, ac ædificia eius ad terram prostrata, & exinde effecta inhabitabilis, & deserta, sola Ecclesia Cathedrali dumtaxat remanente. Dictus Vrbanus Papa, quasi à principio sui Pontificatus in plerisque locis continuè ædificauit, & primo in Palatio Auenionensi, quod in magnam partem ampliauit, in illa quæ hodie videlicet vulgariter Roma appellatur, in qua sunt tam habitationes, deambulatoria & viridarium miræ pulchritudinis, & amenitatis, habent etiam in se maiorem dele-

ctationem, quam etiam quæcumque aliæ in toto Palatio existentes. In loco etiam de Bodostro diocesis Mimatensis, vbi erat Ecclesia Baptismalis, & Parrochialis loci suæ originis, spectabatque ad domum suam paternam, à solo ædificauit pulchram & satis nobilem Ecclesiam, quam muris altis, & turribus ad modum castri circumdedit, in qua constituit Collegium certorum Canonicorum secularium, & Decani; qui ibidem haberent Deo perpetuo deseruire, in memoriam sui & parentum suorum, quorum sepultura est, & erat ibi ab antiquo, dotauitque dictum Collegium tam de bonis paternis, quàm aliis bene, & sufficienter. In Ecclesia etiam de Quesato dictæ diocesis, vbi est oratorium spirituale, & deuotum beatæ Mariæ Virginis, Collegium nouum instituit certorum Canonicorum secularium, & qui ipsis præsideret Decanus, pro quorum sustentatione sufficienti, reditus, & prouentus multos acquisiuit, & ordinauit fecitque muris & turribus ꝯtam Ecclesiam altis circumdari, idemque fecit in plurimis aliis locis, & Ecclesiis Dei seruitio deputatis in dicta diocesi constitutis, de quibus dubitauit

C. R. de Bedcasco.

quod tempore guerræ faciliter possent capi, aut hostiliter impugnari. In Roma etiam existens Ecclesias Lateranensem & sancti Pauli, quarum tecta erant totaliter demolita, fecit mirabiliter, & sumptuosè reparari: idem fecit de Ecclesia sancti Petri in ea parte in qua reparatione indigebat, ibidem etiam iuxta Palatium suum fodi, & aptari fecit vnam vineam maximi ambitus, de qua cõmuniter si bene, & debitè colatur, & operetur annuatim colligentur ccc. dolia vini, C. R. in qua etiam nouiter plantari fecit mul- cccc. tas vites, & arbores fructiferas, quas de diuersis, & longinquis terris, & partibus fecit asportari; Ipse insuper tam in vrbe, quàm in aliis Ecclesiis, locis religiosis, & Ecclesiasticis, prout eorum necessitas exigebat, vestes sacras, calices, ornamenta Ecclesiastica, & libros ad officium diuinum opportunos innumerabiliter distribuit, atque dedit, reliquiasque multorum Sanctorum auro & argento, gemmis ac lapidibus pretiosis adornatas reposuit in eisdem. Ipse præterea fuit multum diligens, ac in tenendis consistoriis, & consiliis, diebus & horis ad ea debitis, & ordinatis, vacauitque cum

omni sollicitudine circa debitam & celerem expeditionem negotiorum Ecclesiæ, & aliorum sibi incumbentium, & præsertim illorum, quæ pauperes concernebant, quæ etiam sæpiùs aliis prætermissis expediuit. Iustitiam permaxime fouit & dilexit, deditque ordinem, quo mediante suo tempore in curia mirabiliter fuit obseruata, & hoc specialiter ne fierent brigæ, dissensiones, aut insultus prout aliàs, fieri solebant per familiares Cardinalium, & alios curiales, de quibus cùm talia attentarunt per suos officiarios ordinauit sic fieri iustitiæ complementum, quod cæteri eorum exemplo perterriti à similibus se multimodis detraxerunt. Abusus etiam, seu obseruantiam, seu veriùs corruptelas Aduocatorum,& Procuratorum curiæ, ex quibus causæ ibidem vertentes plurimùm protrahebantur, & ne ad expeditionem venirent impedimenta præstabant, vnà cum exactionibus indebitis, quæ in magnum grauamen, & præiudicium litigantium anteà per ipsos fiebant, cassauit, annullauit, & interdixit, & ne à cætero seruarentur & fierēt, prohibuit: certas ordinationes etiam pœnales super his

ſpecialiter faciendo. Concubinarios, & alios vitam inhoneſtam publicè ducentes, quàm maximè Eccleſiaſticos rigidè compeſcuit, & ad correctionẽ, & emendationem venire coegit: vſurarios admodum perſecutus eſt, adeóque iuſtitia mediante ſuo tempore de malè allatis in curia occaſione huiuſmodi reſtituta dicuntur vltra ducenta millia florenorum. Simoniacos execratus eſt, ementes autem, & vendentes beneficia ſiue ſpeciales gratias, aut ſuper eis mercimonia illicita facientes, tractantes aut procurantes, aut etiam occaſione talium exactiones indebitè facientes, puniri multimodis ordinauit, immò & eorum quamplurimos curiam exire coegit. Beneficiorum multiplicationem, præſertim incompatibilium in eandem perſonam cõcurrentium inuitiſſimè tolerauit, immò multos ex illis, qui plurima obtinebant priuauit, relictis eis tantummodo illis, quæ ſuo ſtatui & ſufficientiæ congruè conuenire iudicauit, ſuper quo etiam conſtitutionem edidit quæ incipit, *Horribilis*: in qua quod ſuo tempore licere ſibi non paſſus eſt ſuis ſucceſſoribus iudicauit. Viros literatos valde dilexit, mul-

tosque ex ipsis promouit & exaltauit, & vt daret cæteris ad discendum materiam & opportunitatem, quamdiu vixit in Papatu, suis expensis tenuit mille studentes in diuersis studiis, ex quibus cùm aliqui erant prouecti, aut aliàs deficiebant, illorum loco alios continuè subrogauit, libros necessarios, tam eis quàm aliis pluribus quos sciuit studio esse intentos, ipsisque indigere, etiam ministrauit. In Montepessulano, vbi specialiter solet vigere scientia Medicinæ, instituit Collegium vnum duodecim scholarium, qui studentes in dicta facultate in ipso haberent residere, pro quorum sufficienti sustentatione reditus certos acquisiuit, & ordinauit. Libertates & iura Ecclesiarum posse tenus manu tenuit, & conseruauit, & si qui essent eis derogantes, vbi post admonitiones & exhortationes debitas se non proficere vidit, contra ipsos processus, & sententias faciendo viriliter, & rigidè insurrexit, cordatum, constantem, & animosum cum qualiscumque accusatus existeret in hoc se mirabiliter demonstrando, sic, & taliter quod suo tempore Ecclesiæ satis, vbique in quiete & libertate permanserunt. De

pauperibus, & egenis aliisque miserabilibus personis, semper sibi singulariter cura fuit, adeò quod vbi ipsos esse cognouit ipsorum inopiæ liberaliter, & generosè subuenit: præsertim illorum, qui aliàs abundantes extiterant, & demum ad paupertatem deducti erubescebant mendicare; sciens plures de clero multimodis fore vexatos propter guerras, talliasque & onera, quæ hactenus earum occasione eis imposita extiterant, ipsisque pro affectu compatiens in diuersis prouinciis tam regni Franciæ, quàm aliorum, eorum decimam ad mediam reduxit, & si imposterum eam ipsis indici contigerit ex eius solutione minus grauarentur: non etiam noua subsidia imposuit, nec aliàs impositis vsus est, nisi in quantum necessitas Ecclesiæ ad hæc ipsum hortauit; non enim curauit conseruare pecunias, & si quas aliquando habuit, ipsas fœliciter aut in Ecclesiæ negotiis exposuit, aut in piis operibus irrogauit. Ad beneficiorum collationes, prouisionesque Ecclesiarum, & Monasteriorum habens procedere, magnam inquisitionem solertemque examinationem fieri semper fecit super meritis, &

sufficientia illorum, de quorum prouisione, aut promotione actum fuit, per quas cùm bene meriti, & sufficientes inuenti sunt, ipsos liberaliter, & gratiosè promouit etiam quandoque inscios, & non procurantes: vbi verò inuentum est oppositum, præsertim si fuerunt in vita vel conuersatione maculati, aut scientia vel ætate notabiliter defectuosi, etiam quarumcumque precum seu intercessionum obtentu eos nullatenus saltim sciēter admisit. Toto tempore suo diligentiam maximam adhibuit inquirendo mores, & vitam generaliter omnium suorum subditorum, & præsertim Ecclesiasticorum, super quo modum tenuit valde notabilem & honestum, secretissimè namque fere de omnibus nationibus aduocauit ad se aliquas personas deuotas, discretas, Deum & suam conscientiam pertimescentes, quas super inquisitione huiusmodi, per earum quaslibet in suis locis, seu regionibus occultè fienda & demum sibi referenda specialiter onerauit: sicque actum est quod saltim notabilium fere omnium morum, & vitæ satis notitiam habuit, qua habita, bonos in bono confirmauit, malos verò à malo cohibuit,

hibuit, aut corrigi & emendari procurauit per visitatores aut reformatores, quos ad hoc demum specialiter deputauit; volensque Curiales Ecclesiasticos sic honestè viuere quòd essent cæteris in exemplum, à principio suæ creationis pœnaliter ordinauit, quod omnes generaliter, & indistinctè in Aduentu Domini, & duabus diebus quartam feriam Cinerum immediatè præcedentibus ab esu carniũ abstinerent, & in dictis diebus seculares & laicos in Curia existentes etiam voluit comprehendi. Affectum carnalem nequaquam ad suos se habere demonstrauit, nullum ex eis ad quamcumque prælaturam promouit, nisi duos duntaxat, videlicet memoratum fratrem suum, & nepotem ex consanguineo germano Doctorem decretorum, aliásque bonum & sufficientem, quem Ecclesiæ sancti Pauli in Episcopum præfecit, alios autem quamquam essent boni & idonei, aut beneficiis satis simplicibus, aut officiis Curiæ voluit remanere contentos. De Laicis etiam nullum exaltauit, immò nec per alios exaltari permisit, in cuius euidentia expresè recusari ordinauit per patrem suum D. C. libras renduales quas C. R redituales.

Rex Franciæ sibi dederat ob sui fauorem: nepotem etiam suum vnicum,&ad quem paterna hæreditas pertinere debebat, nõ cum altiori, immò nec ęquali sibi in genere voluit matrimonialiter çopulari, suscepit namque sibi in vxorem filiã cuiusdam mercatoris Montispessulani satis simplicis sui generis respectu, quã tamen vt creditur ipso adhuc in minoribus existente, dictus nepos minimè recepisset. Ipse etiã paternaliter, & charitatiuè omnes dilexit, in his tamen quæ pertinent ad Deum neminem timuit, nisi eum cuius gratia suffultus sit, & taliter rexit quod vniuersaliter amabatur à malis, fuit enim sanctæ & iustæ intentionis faciendi in omnibus quæ Deo credebat fore placitura, & contraria euitandi, habuitque in mente constantiam, veritatem in ore, & efficaciam seu virtuositatem in operatione. Postquam rediit de partibus Italiæ, totaliter mente disposuit in propria laborare circa pacificationem dictorum Regum Francorũ & Angliæ, ad quod etiam circa præparatiua ordinauit, sed satis cito magna infirmitas ipsum arripuit, ex qua sentiens grauari, mortemque sibi propinquam æstimans, ad ea vacare destitit, sed ad illa quæ animæ suæ salutem

concernere poterant totaliter se conuertit, humilitérque & deuotè, sæpius confessus est, & cætera Ecclesiastica Sacramenta suscepit, præsentibus etiam Camerario Confessore, pluribusque aliis familiaribus suis, ac aliis multis notabilibus personis dixit, & asseruit se tenere & credere firmiter, sicque confessus est simpliciter, quidquid sancta Catholica, & Apostolica tenet, docet, & prædicat Ecclesia. Et si per prius docendo, legendo, prædicando, aut disputando, vel aliàs aliud quouis modo prædicauerat, vel dixerat, totum id reuocauit, voluítque haberi pro non dicto, submittens se, & dicta sua huiusmodi correctioni, & determinationi dictæ sanctæ Matris Ecclesiæ, à qua asseruit nunquam se deuiasse scienter. Tandem verò post multa bona, & virtuosa opera in Domino requieuit die XIX. mensis Decembris anno Domini M.CCC.LXX. Pontificatus sui anno nono, fuitque sepultus in Ecclesia maiori Auenionensi, demum transferendus ad Monasterium sancti Victoris Massiliēsis, vbi viuens suam perpetuā elegerat sepulturam, magnis & stupendis miraculis coruscando, vacauitque sedes XI. diebus.

GREGORIVS XI.

Ex eiſdem M.S.

GREGORIVS Papa XI. natione Aquitanicus de loco de Malamonte dioceſis Lemouicenſis oriundus, poſt dictum Vrbanum quintum, fuit Auenioni electus in Papam die penultima menſis Decembris anno Domini milleſimo treceteſimo ſeptuageſimo primo, die quarta menſis Ianuarij ſubſequentis presbyter ordinatus, in craſtinum verò cõſecratus, & coronatus. Hic priùs vocatus erat Petrus Rogerij, cuius pater erat Guillermus Comes Bellifortis, & in adoleſcentia ſua fuit, & demum ſanctæ Mariæ nouæ Diaconus Cardinalis factus per Clementem Papam ſextum, cuius erat nepos ex fratre. Hic quamquam eſſet ſatis iuuenis, quando fuit factus Cardinalis, cùm nondum attingeret octodecim annos ſuæ ætatis, tamen erat totus ingenioſus, & aptus, ac ſtudio literarum valde intentus, volenſque in eis proficere amplius, poſt promotionem ſuam ad ſtatum huiuſmo-

C R fuit primo Notari' ſedis Apoſtolicæ.

di, accerſitis ſibi notabilibus Eccleſiaſticis, quos ſecum continuè habuit, audiendo & legendo circa legalem ſcientiam diutius inſudauit, & adeo in ipſa profecit, quod vnus de profundioribus & ſufficientibus totius orbis in ea fuit effectus: demum ſe cõuertit ad Canones, Theologiamque, ac Philoſophiam naturalem, in quibus ſe adeò notabiliter profundauit, quòd in collationibus & Conciliis ac aliis actibus ſuo ſtatui congruentibus, in quibus de pertinentibus ad huiuſmodi facultates actum fuit, ſufficientiſſimè perorauit; tum circa deciſionem etiam cauſarum diligenter inſtitit, habuítque in iſta tàm iuris, quàm facti experientiam tantam, quantam quicumque alius ſtatus ſui: in expeditione verò negotiorum ſibi commiſſorum, aut aliorum quæ ſecum aut per eum tradenda occurrerunt, admodum peritum, gratum, benignum, & manſuetum habuit, quod de ipſo vniuerſaliter omnes ſecum agere habẽtes multum remanſerunt contenti, & cùm eſſet humilis, modeſtus, circumſpectus, & liberalis, ac aliis multis virtutibus dotatus, omnes tam ſeculares principes, quàm Prælati, & vt plurimum quicumque ad

ipsum recursum habentes, eum potissimè dilexerunt. habuit etiam magnā gratiam in collegio Cardinalium, adeò quòd demum suis suffragantibus meritis per debitam concordiam, fuit, vt præmittitur, ab ipsis electus in Papam die supra dicta de mane, quam sola vox præcesserat, ab introitu conclauis eorundem: fuit tamen ipse in consentiendo multum retinens & contradicens, immò difficillimè ad hoc per eos potuit inclinari: sed tandem cum omni humilitate, diuinæ & ipsorum se subiecit voluntati. Eodē anno quasi toto tempore vernali fuit terræmotus in Auenione, & locis circumuicinis, & in partibus Tolosanis per maximus, ex quo perierunt loca multa, & habitationes corruerunt. Dictus Gregorius Papa satis citò post assumptionem suam ordinauit Nuntios suos legationis officio fungentes, dominos Simonem de Langanari: titulo sancti Sixti, & Ioannem de Normaniis, titulo sanctorum quatuor Coronatorum presbyteros Cardinales, quos destinauit ad reges Franciæ & Angliæ, causa tractandi pacem & concordiam inter ipsos, sed tandem licet diutius circa hoc laboriosè & diligenter institerint, nihil profi-

C. R. de Langari.
C. R. de Dormānis.

cere potuerunt, tum quia inimicitiæ erãt inter ipsos reges nimium induratæ, tum etiam quia ipsi Cardinales videbantur partiales potius existere, quàm tractatores, & meritò: cùm primus Angliæ, & secundus Franciæ Regum prædictorum Cancellarij & familiares perprius extitissent: hoc etiam non obstante dictus Gregorius Papa successiuè simili de causa ad dictos reges plures alios Nuntios suos, alterius tamen status & conditionis misit, immò & quamdiu Ecclesiæ præfuit, continuè aliquos notabiles inter eos habuit, circa tractatum huiusmodi laborantes. Eodem anno ciuitas Perusina cum suo territorio, fuit reducta ad obedientiam, & dominium dicti Gregorij Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, cùm longo tempore priùs inobediens extiterat, & rebellis, & intrauit ipsam Dominus Petrus de Stanno, titulo sanctæ Mariæ in transtyberim Presbyter Cardinalis, Vicarius pro dicta Ecclesia in Prouincia illa, fuitque receptus multùm honorificè & solemniter in eadem, cuius etiam regimen & gubernationem ab inde suscepit, & tenuit, donec de alio per dictum Papam fuit ordinatum. Die autem sex-

C R. Stagno.

C R. Dicto etiam anno die sexta mensis Iunij, quæ fuit,

ta dicti anni, quæ fuit feria ſexta Quatuor Temporum poſt Pentecoſten, dictus Gregorius Papa fecit ordinationem duodecim nouorum Cardinalium, videlicet octo Preſbyterorum, & quatuor Diaconorum. Preſbyteri autem fuerunt Dominus Petrus Gomecij Hiſpanus, tunc Epiſcopus Hiſpalenſis, Dominus Ioannes de Croſſo diocefis Lemouicenſis, conſanguineus ipſius Papæ, in tertio gradu, Dominus Bertrandus de Coſnaco diocefis Lemouicenſis, Canonicus Regularis Ordinis ſancti Auguſtini, tunc Epiſcopus Conuenarum: Dominus frater Bertrandus Latigri Aluernigena, Ordinis Minorum, tunc Epiſcopus Glandatenſis, Dominus Robertus de Gebennis frater Comitis Gebennenſis, tunc Epiſcopus Cameracenſis, Dominus Guillermus de Canhaco, diocefis Lemouicenſis Monachus Ordinis ſancti Benedicti tunc Epiſcopus Mimatenſis: Dominus Ioannes Fabri, Diocefis Lemouicenſis tunc Epiſcopus Tutellenſis, conſanguineus germanus ipſius Papæ, & Dominus Ioannes de Turre in Aluernia tunc Abbas Monaſterij ſancti Benedicti Floriacenſis. Diaconi verò fuerunt, Dominus Iacobus de Vrſinis Roma-

C. R. de Croſco.

C. R. Largij.

C R de Clauco.

nus, tunc ſedis Apoſtolicæ Notarius, Dominus Petrus Flandrini dioceſis Viuarienſis, tunc Decanus Baiocenſis, Dominus Guillermus Noelleti, dioceſis Engoliſmenſis, tunc Archidiaconus Carnotenſis, & Dominus Petrus de Vernhio dioceſis Tutellenſis Archidiaconus Rothomagẽſis, & iſti tres vltimi erant etiam auditores ſacri Palatij, & dicti Gregorij Papæ Referendarij. Eodem inſuper anno dictus Gregorius Papa deſtinauit ad partes Italiæ pro regimine terrarum Romanæ Eccleſiæ Dominum Philippum Caballole Sabinenſem Epiſcopum Cardinalem. Eodem etiam tempore currente fuit pacificatus, & reconciliatus Carolo Regi Franciæ, Carolus Rex Nauarræ, cui in recompenſam certarum terrarum, quas perprius habere conſueuerat in Ducatu Normanniæ, fuit datus locus Montiſpeſſulani cum pertinentiis, qui etiam pro tunc venit ad dictum Gregorium Papam cauſa ipſum viſitandi, & de ſua promotione ſibi congaudendi. Per idem tempus cùm Ducatus Aquitaniæ iam pro maiori parte rebellaſſet Regi Angliæ, & dominio, ac regimini Edouardi Principi Valliæ ſui primogeniti, ad hoc per ipſum conſtituti, qui pro tunc ſatis

grauiter infirmabatur, & ad hoc personaliter incedere non poterat, dictus Rex deputauit Ioannem Ducem Lancastriæ filium suum secundogenitum, qui vice sua dictum Ducatum adiret, eumque ad ipsum si posset reduceret, aut aliàs hostiliter impugnaret, qui accersitis secum quamplurimis bellatorum ipsum intrauit, discurrit, vastauit & damnificauit vbi & quantum potuit: sed quia eius aduentus satis anteà præscitus fuerat, optatis potiri non potuit vt volebat, loca namque fortia vt plurimum gentibus, victualibus munita fuerunt, adeò quòd ipse intrare non potuit, sed in campis aut locis apertis seu debilibus ipsum oportuit permanere, victualia insuper in locis clausis inuenit recondita, aut ab extra totaliter deuastata, & sic cum magno discrimine stetit diebus quam pluribus per dictum Ducatum equitando, licet enim continuè peteret, aut appeteret inire prælium cum suis aduersariis, non tamen fuit qui reciperet, vt sic ipse cum suo exercitu marcescerent & deficerent, & in se ipsis interirent, qui aut saltim absque ense vel gladio, sed fame, & inedia vincerentur; quemadmodum ipsis de-

mum contigit, cùm plures ex eis modo præmisso in via defecerint, equis eorum & euectionibus pro maiori parte mortuis, aut consumptis: qua de re coacti sunt ne dum cum damnis innumeris, sed etiam cum vituperio ad propria remeare. Eodem anno M. CCC. LXXII. qui fuit Pontificatus secundus dicti Gregorij Papæ de mẽse Maij per ipsum missus est Legatus ad Regnum Hispaniæ, Dominus Guido de Bolonia Episcopus Portuensis Cardinalis, causa sedandi discordias, & dissensiones, quæ iam oriebantur inter Henricum Castellæ, Petrum Aragonum, & Carolum Nauarræ Reges, qui per Dei gratiam, post multos labores sic operatus est, quòd ipsos ad bonam concordiam inclinauit, fuerúntque confœderati ad inuicem per parentelas inter eos contractas: nam Ioannes primogenitus dicti Henrici Regis Castellæ, filiam Petri Regis Aragonum, & Carolus primogenitus Regis Nauarræ filiám dicti Henrici receperunt in vxores. Eodem etiam tempore translatum fuit de Auenione corpus Vrbani Papæ V. ad Monasterium sancti Victoris Massiliensis, in quo viuens suam elegerat sepulturam, concomitan-

tibus ipſum, ſex Cardinalibus per ipſum ordinatis, fecitque Deus multa ac ſtupenda miracula ſuorum meritorum obtentu, prout etiam per prius fecerat continuè à die obitus ipſius, & demum continuauit in præſenti. Eodem etiam tempore currente cum Barnabas & Galeas de Vicecomitibus Mediolani inuaderent & occuparent aliquas terras ad Romanam Eccleſiam pertinentes, dictus Gregorius Papa contra ipſos proceſſus fecit iuridicos, & contra talia attentantes, in dictæ Eccleſiæ præiudicium aliàs fieri conſuetos. Et inter alia volens quòd nouos fauores aut amicitias cum aliis magnatibus & Principibus non acquirerent per parentelas inter ipſos contrahendas prohibuit, & interdixit ne aliquis cum ipſis aut eorum filiis & filiabus matrimonialiter coniungeretur, decernens irritum & inane quidquid in contrarium attentaretur, quod aliàs vix aut rarò legitur fuiſſe factum, eiuſque occaſione plures ab eorum confœderationibus ſe pro tunc retraxerunt, qui aliàs libenter ad eas proceſſiſſent. Cúmque proceſſus huiuſmodi ipſos non plenè à ſuis malitiis cohiberent, idem Gregorius

Papa totus bene cordatus manu armata contra ipsos procedere decreuit, aggregauitque aduersùs eos magnum exercitum armatorum tam de terris & colligatis suis, quàm regno Franciæ & confinibus eius, cuius Generalem Capitaneum ordinauit Amedeum Comitem Sabaudiæ, qui onere huiusmodi in se assumpto viriliter aggressus est terras, & dominia ipsorum, & per cædes, incendia, & alia in guerra fieri solita eis intulit multa damna, loca etiam quamplurima acquisiuit: sed quia nec sic ex toto domari potuerunt, locis iam captis penes ipsum, aut Ecclesiam remanentibus, fuit facta quædam sufferentia seu treuga inter dictum Papam & ipsos, quæ licet à principio reputata fuerit vtilis, & expediens pro Ecclesia, tamen effectus subsequens ipsam multimodis demonstrauit esse damnosam; nam ipsa durante prædicti se colligauerunt cum Florentinis, & aliis ciuitatibus Tusciæ, sicque eorum pars fuit reddita fortior & difficilior ad vincendum. Prædictis peractis memoratus Gregorius Papa ordinauit, & destinauit Vicarium suum Generalem pro regimine ciuitatis Bononiensis & aliarum terra-

rum adiacentium Dominum Guillermum Noelleti sancti Angeli Diaconum Cardinalem, gubernationem verò ciuitatis Perusinæ patrimonij beati Petri & certarum aliarum prouinciarum commisit Domino Geraldo de Podio tunc Abbati maioris Monasterij Turonensis, volens quod etiam nomine & officio Vicariatus fungeretur. Eodem etiam tempore dictus Gregorius Papa reconciliauit sibi & Ecclesiæ Romanæ insulam Siciliæ, quæ eidem ferè sexaginta annis inobediens fuerat & rebellis, fueratque per idem tempus Ecclesiastico subiecta interdicto, & hoc idem, quod cùm esset de feudo Ecclesiæ ac pars potissima regni Siciliæ se subtraxerat à dominio & subiectione Regis Siciliæ, & Ierusalem, vasalli specialis Ecclesiæ, & in ipsa tyrannicè Fredericum de Aragonia dominari permiserat, in ipsius Ecclesiæ & dicti regis præiudicium, vituperium, & iacturam. Fuitque pax reformata inter Ioannam Reginam Siciliæ, & Ierusalem, & dictum Fredericum dictam insulam detinentem, pro cuius confirmatione fuit in dicta insula per dictum Papam regnum nouiter erectum, quod Tri-

C. R. Guillermũ Morelli.

nacriæ nuncupatur, cui nouiter dictus Fredericus fuit confirmatus & sublimatus in regem sub pacto expresso, quod imposterum ipse & successores sui regnum huiusmodi tenerent in feudum immediatè à dicta Regina & successoribus suis, quódque darent sibi in tributum siue censum annuatim summam quindecim ducatorum: pro reconciliatione autem huiusmodi modo debito fienda amotione dicti interdicti, dicti regis noui coronatione, pacisque prædictæ confirmatione, ac expeditione aliorum quæ circa hæc agenda videbantur per dictum Papam, missus fuit ad dictam insulam Dominus Ioannes de Reuellone Episcopus Sarlatensis, qui omnia iuxta sibi imposita fœliciter consumauit. Anno LXXIV. fuit magna pestis mortalitatis, tam in Auenione, quàm partibus circumuicinis, ob cuius timorem dictus Papa fugit, & iuit ad alia loca circumadiacentia, quæ dicta peste non erant infecta. Eodem etiam anno fuit in eisdem partibus magna bladi caristia, & permaxima in partibus Tolosanis, adeo quod ibi vendebatur quarta frumenti pretio sexaginta florenorum, & quandoque pro illo,

immo nec etiam pro maiori pretio reperiebantur venditores: propter quod multi etiam diuites & pecunijs abundantes fame perierunt. Sed mirum de Dei misericordia & pietate, quæ sic disposuit, & ordinauit, quòd eodem anno in dictis partibus ante nouorum fructuum recollectionem, fuit frumenti tanta sufficientia, quòd quarta habebatur pro decem florenis, immò & pretio minori. Eodem anno Iacobus nomine Rex Maioricarum accersitis sibi pluribus armigeris intrauit regnum Aragonum causa recuperandi regnum & terras, quæ aliàs fuerant patris sui, & quæ iure hæreditario ad se pertinere prætendebat. Sed nequaquam præualere potuit, immò ipso ibidem absque prole vita functo sui commilitones
C.R scil. anno. M. CCC LXXV. satis inanes, & vacui, ad propria retrocedere sunt compulsi. Paulò pòst verò Ioanna Regina Siciliæ eius coniux, recepit sibi in virum Othonem de Brunsuich, etiam solo nomine Ducem, cùm nec terras haberet, nec etiam dominia, erat tamen miles valde generosus oriundus de Alamannia, pulcher, & admodum strenuus in armis. Anno LXXV. die vigesima mensis Decembris, quæ fuit Iouis feria

sexta

ſexta Quatuor Temporum dictus Gregorius Papa XI. creauit nouos Cardinales, videlicet octo Preſbyteros, & vnum Diaconum: Preſbyteri verò fuerunt Dominus Petrus Iudicis diòceſis Lemouicenſis, Monachus Ordinis ſancti Benedicti, tunc Archiepiſcopus Rothomagenſis, conſanguineus germanus ipſius Papæ, Dominus Simon de Brouſano Italicus, tunc Archiepiſcopus Mediolanus, Referendarius ipſius Papæ, Dominus Hugo de Monari legum Britto, tunc Epiſcopus Brioceníis, Dominus Guido de Maleſico dioceſis Tutellenſis, tunc Epiſcopus Pictauenſis, conſanguineus, & Referendarius ipſius Papæ, Dominus Ioannes de Grangia dioceſis Lugdunenſis, Monachus Ordinis ſancti Benedicti, tunc Epiſcopus Ambianenſis, Dominus Petrus de Sortenaco Caturcenſis, tunc Epiſcopus Viuarienſis, Dominus Geraldus de Podio, tunc Abbas Maioris Monaſterij, conſanguineus ipſius Papæ, & Vicarius ſuus in Peruſio, & Dominus Ioannes de Buxeria Burgundus, tunc Abbas Ciſtercienſis. Diaconus verò fuit Dominus Petrus de Luna Aragonus decretorum Doctor, Præpoſitus

C. R. de Maleſico.

C R. de Vaxeria.

Valentin. & hîc attendendum quod ista creatio non fuit facta die veneris, secundùm quod fieri aliàs consuetum, & hoc ideò quia illa die fuit festum beati Thomæ Apostoli, qua die non fuit tenendum Consistorium: fuit etiam protelata dictæ creationis publicatio vsque ad diem sabbati subsequentem propter dictum festum, cùm tamen aliàs in crastinum ipsius fieri debuisset. Eodem tẽpore Communitas Florentina contra dictum Gregorium Papam & Romanam Ecclesiam insurrexit, doloséque, & malitiosè operata est, quod fere omnes ciuitates, & loca alia quæ ad dictam Ecclesiam in Italia pertinebant ei se confœderauerunt, & alligauerunt, in vnumque conuenerunt, vt à modò excusso à se, quocumque alio superiori, vel Domino in sua libertate viuerent & permanerent, factoque vexillo, in quo solum magnis literis erat descripta Libertas, ordinauerũt magnam gentem armigerorum qui cum vexillo huiusmodi dictæ ligæ adhærere vellent confoueret; resistentes verò vi & potentia ad eam sectandam comprimeret, & arctaret: sicque factum est, quod quasi vno contextu siue impetu omnes ciuitates,

locáque & castra dictæ Romanæ Ecclesiæ, aduersus eam spem rebellionis assumpserunt, officialibus ipsius aut interfectis, aut turpiter eiectis, rochæ, castraque, & munitiones, quæ in ipsis erant, aut ad terram funditus prostrata sunt, aut per alios tyrannicè occupata. His autem dedit initium ciuitas Bononiensis, cuius incolæ præfatum Dominum Guillermum Noelleti sancti Angeli Diaconum Cardinalem Vicarium Generalem ibidem commorantem primò captiuarunt, demum bonis suis spoliatum admodum ignominiosè abinde exire coegerunt, & idem fere per omnia paulò post fecerunt ciues Perusini de Domino Geraldo de Podio, qui etiam Vicarius ibidem permanens paulò antè fuerat factus Presbyter Cardinalis. His verò ad notitiam dicti Gregorij Papæ deductis ipse vehementer turbatus est, & tristis effectus, prouiditque circa ea quantum sibi possibile fuit, & primò fecit processus suos contra dictos Florentinos, qui eisdem, prout præmissum est, causam & occasionem præstiterant, quos etiam aggrauauit, & reaggrauauit, & postquam eos finaliter pronunciauit hostes suos, & Ec-

clesiæ sub pœnis, & sententiis, mandauit ne aliquis eis, nec eorũ alicui participare, loquendo, comedendo, bibendo, emẽdo, vendendo, aut aliàs quóuis modo darent consilium, auxilium vel fauorem, directè vel indirectè : in eorum etiam maiorem detestationem pari modo mãdauit, quòd ipsa aut aliæ merces quæcumque per eos aut eorum territorio factæ, siue titulo emptionis, siue donationis, aut aliàs qualitercumque ad vsum aliorum nullatenus cederent, aut reciperentur, nisi inquantum hoc ad eorum damnum, seu iacturam cedere posset: confiscauit nihilominus omnia eorum bona tam mobilia, quàm immobilia vbicúmque consisterent, personas insuper eorum capientium suas fieri ordinauit, quorum occasione multi tam in Auenione, quàm aliis partibus collocati cum damnis, detrimentis innumeris ad propria redire sunt compulsi, ex quibus eorum cõmunitas ad cor minime reuersa est, immò fortior in sua malitia extitit, indurata continue, peiora prioribus contra dictam Ecclesiam procurando, & machinando, libellos etiam diffamatorios, falsa tamen & erronea continentes, contra statum ipsius Ecclesiæ, &

personam dicti Papę vbique transmittendo. Fecit præterea dictus Gregorius Papa suos processus contra alios, qui sibi & Ecclesiæ rebellauerant, & talia commiserant superiùs enarrata, prout eorum cuiuslibet demerita exigebant, & quia nec sic ad emendationem seu reductionem inclinabantur, decreuit ad fortia apponere manum, misit enim ad partes Italiæ Legatum suum de latere, Dominum Robertum de Gebennis Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, cum ingenti exercitu armatorum, causa fouendi illos, qui in fidelitate præstiterant, infideles verò & rebelles compescendo, aut alios ad sui obedientiam reducendo, nec in his maiora obstacula occurrerent dedit in mandatis, vt transeundo per terras Mediolanenses, inter ipsum & eos pacē & concordiā iniret, si & prout sibi expediens videretur, ipse verò cùm terras prædictas intrauit consideratâ negotiorum sibi impositorum qualitate iudicauit esse pro meliori, vt ad dictam pacem firmandam procederet, prout & fecit; oportuit tamen, quòd pro ipsius solidatione ad prædictorum dominium loca per priùs possessa, seu detenta, per ipsos,

& quæ demum, guerrâ durante, per gentes Ecclesiæ erepta ab ipsis fuerant, reducerentur, quod non modicum fuit lamentabile aliquibus, præsertim illis, qui se sponte reddiderant, cùm viderent reductos ad manus illorum, quos sciebant se in præmissis offendisse. Abinde verò procedens venit ad Prouincias Ecclesiæ suo regimini decretas, in quibus viriliter operatus est quidquid boni potuit, quo ad conseruationem illorum, qui in bona fidelitate rebellauerant, nihil effectualiter profecit duritia cordis eorum malitiaque, & astutia tum Florentinorum, quàm aliorum, cum quibus erant colligati, sibi obsistentibus ex aduerso. Dictorum autem rebellioni, & reuolutioni occasionem dedisse dicuntur tria: primò naturalis inconstantia, quæ patriam illam & eius incolas in eodem statu permanere diutius non sinere consueuit. Secundò appetitus, seu ambitus dominandi, qui sic innatus est in corde cuiuslibet eorum, quod inuitissimè vident alium, quàm se dominari. Tertiò gabellarum, daciarum & similium impositio, ex quolibet ipsorum iudicio, magna pars suæ substantiæ eis subtraheba-

C. R. fidelitate præstiterãt, quoad reductionem illorum qui.

tur per illos, ſub quorum regimine per prius conſiſtebant, & ſi hoc vltimum non extitiſſet, aut ſaltim magis mitigatum fuiſſet, forſitan hoc, & eis ſimilia, tunc, & aliàs retroactis temporibus non contigiſſent. Sed quia qui nimis emungit, ſanguinem elicit, & qui noſtra tollit, inimicus eſt, ideo non mirum &c. Prædicta autem durante tempeſtate fuit per Nuntios, & literas pluries inſinuatum dicto Gregorio Papæ, quod ſi ipſe perſonaliter veniret ad partes Italiæ, confeſtim prædicta omnia recuperaret, & alia quæcumque præmiſiſſet ad ſtatum debitum reducerentur, ceſſaréntque machinata, procurata, & tractata, vltra ea, tam contra ſtatum ſuum quàm Eccleſiæ memoratæ, quæ ſecundùm relationes, & conſiderationes plurium maiora, ac peiora prioribus exiſtebant. Ipſe verò volens circa ea prouidere, & ipſis poſſe tenus obuiare, deliberauit ſe transferre ad partes memoratas, ſuoſque greſſus dirigere verſus Romam, cum etiam Romani ſui optantes præſentiam cauſa ipſum ad hoc alliciendi, multa & magnalia promittentes ſe facturos in ſui fauorem & honorem, quam primum ad ipſos de-

clinarent, qui sic disposuit facere, & ordinauit quamuis contra consilium & deliberationem totius Collegij omniumque amicorum suorum, & in die decima tertia mensis Septembris anni LXXVI. de Auenione recessit iter suum arripiendo versus partes memoratas cum dominis Cardinalibus, sex dumtaxat exceptis, qui Auenioni remanserunt, intrauitque mare in Massilia, vbi inuenit galeas & nauigia ad sufficientiam pro se & concomitantibus eum, & ab inde progressus est dictum suum iter persequendo, in quo multas turbationes habuit, ac pericula plurima incurrit, propter mare, & temporis indispositionem quæ quasi continuè durauit, donec applicuit in Corneto, vbi tenuit festum Natiuitatis Domini, & subsequentia festa. Deinde ab inde discedens nauigando intrauit fauces Tiberis, & die decima septima mensis Ianuarij anni LXXVII. ingressus est Romam equitando de sancto Paulo, vbi ad terram de nauigio descenderat, vsque ad sanctum Petrum, fuitque ibidem receptus cum magna solemnitate, & honore. Sciendum tamen quod Romani de illis quæ sibi per prius promiserant, pau-

cissima attenderunt, præsertim circa illa, quæ concernebant regimen vrbis, nam licèt in suo aduentu Bandarenses & duodecim capita regionum per quos regimen huiusmodi per prius fuerat occupatum, deposuerunt, tamen illicò eos reposuerunt, ac vt regerent secundùm quod prius voluerunt, nec potuit dictus Papa sine scandalo in hoc eorum resistere voluntati, de quo nec immeritò fuit ipse territus & turbatus, videns se fuisse deceptum & illusum tam per eos, quàm alios, qui sibi suggesserant, quòd in eius aduentu, tam prædicta quàm alia, quæ in sui & dictæ Ecclesiæ præiudicium & iacturam prius attentata fuerant in partibus illis, vel ad statum debitum reducerentur, vel ad nutũ suum disponerentur, cum tamen de reductione aliquali nihil pro tunc actum fuerit, sed potius de noua rebellione locorum, quæ vsque tunc in obedientia, & subiectione suis se persistere demonstrabant; quorum aliqua in patrimonio in dicto aduentus sui procinctu realiter rebellarunt, operante Francisco de Victo præfecto vrbis, qui Viterbium & alia loca plura ad dictam Ecclesiam pertinentia tunc detinens, tanquam

C. R. Lidarenses.

C. R. de Vico.

eius hostis, contra ipsum guerram publicè facere non expauit. Et idem fere fecerunt alij nobiles, & tyranni Ecclesiæ subditi, & etiam contra ipsam cum memoratis Florentinis confœderati, & colligati, aduersùs quos oportuit dictum Papam pro sui, & terrarum suarum defensione, etiam validiorem quàm prius guerram sub intrare, non sine magnis sumptibus, periculis, & detrimentis. Per idem tempus Carolus Romanorum Imperator qui aliquamdiu ante Vencelaum Regem Boemiæ filium suum primogenitum per Electores Imperij in Regem Romanorum eligi procurauerat, misit ad dictum Papam suos Nuntios solemnes pro sui parte postulantes, & requirentes dictum electum, electionem per ipsum in forma consueta approbari, & confirmari. Qui hoc facere licet per priùs requisitus, vsque tunc distulerat, principaliter propter teneritudinem ętatis dicti regis, qui tempore suæ dictæ electionis vix XVII. annum attingere dicebatur, tamen quia ex tunc effluerant tres anni, & amplius, & sic pro tunc erat maioris ętatis, ad hoc procedere deliberauit: ordinauit tamen quod præpararentur, &

diſponerentur illa, quæ in ſimili facto erant aliàs fieri conſueta, quæ adeò magni ponderis erant, quod bene non poterant perfici de toto anno ſubſequenti; quo currente obitus dicti Papæ interuenit, prout infra ſequitur. Eodem anno adueniente tempore æſtiuo dictus Gregorius Papa propter calores Romæ vigentes ab inde exiuit, venitque ad Anagniam, vbi moram traxit per totam æſtatem, cùm ſit ibi bonus & purus aër. Et eodem tempore obijt Odouardus Rex Angliæ, cui ſucceſſit in regno Ricardus filius vnicus Odouardi, Principis Valliæ, primogeniti ſui, qui paulo ante præmortuus erat, fuerúntque in ſucceſſione huiuſmodi poſteriorati alij tres filij Regis memorati vigore conſuetudinis Anglicanæ, quæ habet filium debere ſuccedere in omnibus, in quibus pater ſi viueret, ſucceſſiſſet. Eodem anno dictus Gregorius Papa in principio menſis Septembris, ob deuotionem quam ſingulariter habebat ad paſſionem Chriſti, & beatam Mariam Virginem, ordinauit quæ ſequuntur. Primò quod impoſterum fieret Officium integrum, quod ſuper hoc fecit ſolemniter ordinari de Inuentione, & Exalta-

tione ſanctæ Crucis, diebus, quibus occurreret, cùm per priùs in Matutinis non dicerentur pro earum qualibet duntaxat niſi tres vltimæ lectiones, & aliæ ſex de certis Sanctis, quorum feſtiuitates dictis occurrerent diebus. Secundò quòd Natiuitas beatæ Mariæ Virginis haberet Vigiliam cum ieiunio, pro qua etiã Officium proprium Miſſæ ordinauit, cum tamen per prius nec eſſet de illa ieiunium, nec Miſſa de Vigilia huiuſmodi cantaretur. In menſe verò Nouembri poſt ſequente dictus Gregorius Romam rediit, & paulò poſt memoratus Franciſcus de Victo Præfectus vrbis fuit ſibi reconciliatus, & pacificatus, in cuius ſignum idem Papa in propria baptizauit quamdam filiam ſuam, quæ hac de cauſa de Viterbio venerat, & Romam fuit aſportata. Interuenientibus autem & tractantibus aliquibus, fuit tunc actum de concordia & pace iniendis inter dictum Gregorium Papam & Florentinos, cum eorum colligatis, qui erant, vt ſuperius eſt expreſſum, fere omnes vaſalli, & ſubditi terrarum Romanæ Eccleſiæ in partibus Italiæ conſiſtentium, Comitatu Campaniæ dumtaxat excepto: fuitque pro appun-

R. C. de Vico.

ctuatione, & perfectione tractatus huiusmodi de communi partium consensu Ciuitas Lucana ordinata, ad quam venerunt certi, pro parte partium huiusmodi, deputati, & inter cæteros pro parte dicti Papæ Dominus Ioannes de Grangia titulo sancti Marcelli Presbyter Cardinalis illuc fuit destinatus, qui iter suum prosequendo transitum fecit per Ciuitatem Viterbiensem nouiter Ecclesiæ reconciliatam, vbi fuit receptus cum debita solennitate & honore. Prædictis autem pendentibus memoratus Gregorius Papa à diu ante satis debilis, & valetudinarius, ac graui infirmitate detentus, deuotè receptis Ecclesiasticis sacramentis cum magna cordis contritione, prout Domino placuit die XXVII. mensis Martij anni prædicti LXXVIII. in pace quieuit, fuitque primò corpus eius delatum ad Ecclesiam beati Petri, & ibi pro eo solennibus obsequiis celebratis in crastinum translatum & sepultum in Ecclesia beatæ Mariæ Nouæ, in qua prius Cardinalis existens fuerat intitulatus. Eius autem obitus fuit occasio, ne dictus tractatus perfectionem habuerit, aperuitque viam multis malis & scandalis, quæ

postea ſunt ſubſecuta, ipſe enim multum dilexit ſuos, præſertim patrem, fratres, & nepotes, & alios de domo & genere ſuis prodeuntibus, quos licèt denuo non exaltauerit, cùm per prius per patruum ſuum Clementem Papam ſextum, ſublimati fuiſſent, tamen ipſos in ſuo ſtatu huiuſmodi conſeruauit, ſecumque tenuit, ac eorum conſilio & inſtigatione multa fecit, præſertim in promotionibus nonnullorum, quibus ſufficientiores in moribus & ſcientia forſitan reperiri potuiſſent; fuit tamen aliàs multùm virtuoſus, Deo & beatæ Mariæ Virgini ſingulariter deuotus, quibus preces aſſiduas omni die cum magnis feruore & intentione effundebat, fuit inſuper pauperum & afflictorum pius ſuſtentator, conſolator, & largifluè benefactor, dilexit etiam ſingulariter viros literatos, multoſque ex ipſis ſuo tẽpore promouit & exaltauit, quamdiu Eccleſiæ præfuit, quaſi continuè mentales anxietates habuit, propter turbationes, quæ eidem Eccleſiæ ſuo tempore contigerunt, quibus quantum potuit cum omni diligentia obuiauit. Sed plenè non valens occurrere etiam non minus afflictus eſt in perſona, quam gra-

uella adeò grauauit, quòd dies suos in magna parte minorauit, nondum enim annum LXVII. ætatis suæ attigerat, quãdo eius spiritus, vt piè creditur, ad superos euolauit: vacauitque ab inde sedes de iure carensque pastore vero & legitimo mensibus quinque, diebus XXIII. Porro vt etiam clareant & videantur illa quæ dicto currente tempore Romæ contigerunt, est hîc inserendum, quod Romani, seu eorum officiales, & rectores suo vocabulo Bandarenses, & duodecim capita regionum nuncupati, coadunatis sibi aliis quampluribus, tam in ciuibus quàm foraneis natione Italicis, adhuc viuente dicto Gregorio, tamen infirmante deliberauerunt, succedente obitu ipsius omnino sic operari & facere, quod à cætero in Roma, vel saltem in partibus Italiæ Curia resideret, & remaneret; quod se non posse obtinere æstimantes nisi per electionem in Papam alicuius Romani, vel Italici, continuatis & iteratis vicibus sua fecerunt concilia in quibus firmiter decreuerunt Cardinales efficaciter requirere, & hortari, requisitosque, & hortatos fortè suis votis non acquiescentes, viis & modis omnibus eis possibilibus

compellere & arctare, vt eligerent in Papam aliquem,qui esset Romanus vel Italicus natione ; prout ipsorum quàm plurimi nonnullis ex dictis Cardinalibus retulerunt, ac etiam quod in conciliis huiusmodi interuenerant Prælati notabiliores nationis eiusdem, tunc Romæ existentes, per eos specialiter ad hoc vocati. Quorum etiam aliqui ipsos adhuc incitabant, & inflammabant, immò & eis donaria magna promittebant si ipsos eligi procurabant: adueniente igitur obitu dicti Gregorij, prædicta ad effectum deducere volentes, fecerunt sequentia, de malo in peius continuè procedẽdo. Nam primò Cardinales quandoque simul congregatos, quandoque singulos, ab inuicem sæpè & sæpiùs requisierunt, & hortati sunt vt eligerent in Papam aliquẽ qui esset Romanus, vel saltim Italicus natione, continuè subdentes, ita fieri expedire pro consolatione totius Italiæ, & præsertim Romani populi, qui ad hoc in tantum afficiebatur, quòd si contrarium fieret contra eos grauiter turbaretur, ex quo timendum erat, ac verisimile, quod insurgeret contra ipsos, cùm ciuium corda scirent subleuata, & ad hoc fortiter inclinata,

inclinata. Petierunt etiam insuper, vt dicti Cardinales de intentione eorum super hoc ipsos certificarent, antequam conclaue ingrederentur, qui eis responderunt quòd de talibus tractari non debebat, donec essent in conclaui, sed eo tunc super hoc cum Dei adiutorio maturè, & debitè deliberare intendebant, & facere illud quod videretur eis esse melius pro bono regimine Ecclesiæ & totius populi Christiani; rogaueruntque, & requisiuerunt ipsos vt cessarent à requestis, & verbis huiusmodi, quæ minas expressè sapiebant, & ex quibus impressionem ipsis per eos fiendam supplicabantur vehementer, quam si facerent eos ex tunc auisauerunt, & incantauerũt, quod si eius occasione aliquem eligerent, ille non esset Papa, sed intrusus. Sed ipsi de istis non curantes, à requestis, & verbis suis huiusmodi desistere noluerunt, primò in ipsis continuè perstiterunt, secundò ne Cardinales possent Romam egredi, aliumque locum adire, vbi eis faciendum fore videretur, pro electione futura liberiùs facienda, Romani prædicti claues & custodiam portarum & pontium vrbis priùs existentes in manibus officia-

lium Ecclesiæ sibi vsurpauerunt, passus etiam & portus, sui districtus per terram, & aquam adeò claudi & custodiri ordinarunt, quòd sine illorum scitu, licentia, & voluntate ab inde nullus egredi poterat seu exire, nec etiam essent aliqui, qui eorum malitiæ obuiare possent, quique ne in dictos Cardinales insurgerent, prouiderent de remediis opportunis, nobiles, & Principes Romanos ad hæc sufficientes, & optimos facto edicto publico cum pœnarum magnarum additione de Roma expulerunt, locoque ipsorum rusticos, homines effrænatos, vtique bestiales, ac ratione carentes, eorum vocabulo *Montanarios* appellatos, ad dictorum Cardinalium terrorem in multitudine innumerabiliter Romam intromiserunt; qui die nocteque armati intendentes ipsos, eorumque familiares verbis opprobriosis, & comminatoriis continuè flagitabant. Cõtra ipsorum etiam voluntatem de facto ordinarunt custodes conclauis, qui per ipsos eligi consueuerunt, esseque viri probati, in talibus experti ipsisque confidati, homines satis eis extraneos in talibus omnino inexpertos, de quorum etiam fidelitate multi timere, &

suspicari poterant, & debebant cùm essent Romani, qui in cibariis ministrandis, & aliis contra ipsos multa mala poterant machinari & operari: erant etiam simplicis conditionis, & infimi generis, sic quod non potuissent aliis in aliqua re, volentes resistere quoquomodo. Ex eorum insuper ordinatione, hora, qua Cardinales intrare debuerunt conclaue, nedum dicti Montanarij, & rustici, sed etiam cæteri populares Romani vt plurimũ armati, congregati extiterunt in platea sancti Petri de directo sita ante portam Palatij, vbi dictum erat conclaue paratum, qui omnes vna voce tumultuosa & horribili clamarunt, & vociferarunt aliqui dispositiuè, Romanum vel Italicum volumus, vel habebimus, aliqui præceptiuè, Romanum vel Italicum habeamus, alioquin: sicque clamantes, & vociferantes vnà cum dictis Cardinalibus conclaue sunt egressi, propter quorum pressuram nimiam vix, & cum magnâ difficultate Cardinales conclaue intrauerunt. Post quorum ingressum prædictorum quamplurimi intra Palatium remanserunt, immò ipsum quasi totum occuparunt, se ipsos recludentes in cameris, & locis, qui-

bus dictum conclaue circumdabatur, & præsertim illis, qui de directo erant subtus ipsum, in quibus fractis portis, & muro violenter subintrauerunt: alij verò ab extra circum circa dictum Palatium, remanentes, sic & taliter ipsum circumdederunt, quod illud vel exire nullus poterat nisi incideret in manus ipsorũ. Dictis etiam Cardinalibus intra conclaue existentibus, ac in propriis logiis seu cameris iam reductis, custodibusque conclauis ipsum claudentibus contra morem solitum, qui est, quod nullus debet, ad ipsos in conclaui inclusos ingredi, nisi post electionis Papæ celebrationem & publicationem, de hoc certificati, ipsum intrauerunt duodecim capita regionum, cũ aliis pluribus ipsos concomitantibus, petentes quod statim simul omnes in alio loco congregarentur, quia ipsi eis loqui volebant in communi, de quo ipsi valde turbati fuerunt, dubitantes tamen eorum indignationem ipsosque contra eos amplius irritari, si in hoc non facerent quod petebant, licèt admodum displicentes omnes in capella conuenerunt, vbi ipsi affuerunt, dicentes, Domini, pro parte Romani populi aliàs vos sæpe re-

quisiuimus vt velitis eligere in Papam aliquem, qui sit Romanus vel ad minus Italicus, & quia vsque nunc quid super hoc facere intenditis nihil nobis clarè respondistis, ideò iteratò vos de hoc nunc requirimus, volumusque vt modò expressè nobis dicatis voluntatem vestram, vt ipsam dicto populo nos mittenti referre valeamus; quibus dicti Cardinales dixerunt, secundùm quod aliàs in similibus requestis per eos ipsis factis fecerant, quod non erat de hoc tunc hora faciendi mentionem, tamen auxiliante Domino in hoc facere proponebant, illud quod videretur eis esse vtilius pro bono regimine Ecclesiæ, ex quo vt sperabant, totus mundus, & ipsi deberent meritò contentari. Qui hoc audientes, vt male contenti quia non clariùs exprimebant eis mentem suam, ipsis dixerunt, & nos clarè dicimus vobis, quod si non faciatis illis quod petimus, dict⁹ populus de vobis male contentabitur, & vt tenemus cõtra vos cõmouebitur, ex quo sequentur scandala & pericula maxima, quibus de difficili poterit obuiari, & ita prædicimus vobis, vt bene deliberantes in agendis prouideatis circa securitatem personarum ve-

ſtrarum. Ad quæ dictiCardinales reſponderunt prout etiam aliàs in verbis ſimilibus reſponderant effectualiter proteſtando, iſta verba manifeſtè ſonant minas, & clarè indicant, quod impreſſio, & violentia per vos, & illos, pro quorum parte ea dicitis, contra nos procurantur, & machinantur: Et ideò expreſſè nos dicimus vobis, quod ſi per vos aut ipſos aliqua contra nos attententur, prout ſonāt verba veſtra, & contingat vos talium occaſione aut timore aliquem credetis habere Papam & non habebitis, quia non erit, & ſic ipſi conclaue exiuerunt. Regens verò officium Camerarij qui pro tunc territus iuſto timore ipſorum, qui eum capere vel interficere fuerant machinati, in caſtro ſancti Angeli recluſus ad hoc vacare non audebat prout moris eſt, ordinauit quod partes conclauis & cæteræ partes palatij fortiter clauderentur, ne aliqui ad loquendum cum ipſis Cardinalibus contra iuris diſpoſitionem, aut pro ipſorum inuaſione ad eos de facili pertingere poſſent. Sed deputati ad cuſtodiam palatij, qui erant de officialibus eorumdem hæc fieri minimè permiſerunt, immò ex ipſorum ordinatione, aliæ

partes omnes ab illa hora in antea ex toto apertę remanſerunt, illam autem conclauis portam vix & cum magna difficultate claudi permiſerunt & hoc etiam tarda hora & inordinata, cùm iam ferè omnes Cardinales lectos intrauiſſent. Prædicti inſuper palatium occupantes, & ab omni parte circumdantes tota illa nocte non ceſſarunt clamare, & vociferare vocibus altis, & terribilibus, aliqui Romanum vel ad minus Italicum volumus, habeamus vel habebimus, aliqui verò moriantur, moriantur, illi verò qui de directo erant ſubtus conclaue, cum gladiis, & lanceis, ipſius ſolarium fortiter concutiebant ad eoſdem Cardinales per amplius terrendum & moleſtandum: aggregarunt etiam arundines, ſiue cannas ſiccas, & ſarmenta in grandi quantitate ad ſupponendum ignem ſolario antedicto. Propter quod dicti Cardinales nec immerito turbatiſſimi fere totam noctem illam duxerũt inſomnem, qui dum de mane eſſent congregati in capella, ſuáſque audirent Miſſas, Romani prædicti, ipſi in loco capellæ contiguo, ſolóque tantum pariete ab ipſis diſtante, adunati, voces ſuas terribiliores ac altiores quàm

priùs exaltare cœperunt in tantum, quod vix audiri, aut intelligi poterant Missas ipsas celebrãtes. Campanas insuper grossas campanilis Ecclesiæ sancti Petri Palatio contigui, ac etiam illam Capitolij ad Martellum seu modum quo pulsari, seu percuti solent, cum adunatur populus ad rumorem seu hostium inuasionem, indesinenter vno impetu eodem contextu pulsauerunt, ad quarum sonitum populares alij velut furibundi cucurrerunt ad Palatium, vt plurimum armati ipsum intrantes, quotquot intra recipi potuerunt, aliis ab extra manentibus ipsum vndique circumdantibus, qui omnes vna voce tumultuose, & horribiliter clamarunt & vociferarunt, se omnino habere velle Papam Romanum vel ad minus Italicum, venientibusque ad portam conclauis, ictibus, & percussionibus validissimis ipsam percutere cœperunt, alta voce ab extra petentes, vt ipsius fenestræ per Cardinales à parte interiori confestim aperirentur. Quo facto petierunt vt ipsorum aliqui ad eos ibi venirent locuturi, ad quos de aliorum mandatio iuerũt tres Priores cuiuslibet Ordinis, qui ibidem viderunt,

& inuenerunt multitudinẽ innumerabilem armatorum paratorum vt euidentissime demonstrabant statim in eos irruere, ipsosque interficere; clareque & intelligibiliter eis dixerunt, quod statim & sine vlteriori mora eligerent in Papam aliquem Romanum, vel ad minus Italicum, haberentque pro firmo, quod nisi ita facerent, confestim, & indilatè, ac absque quocumque remedio omnes inciderentur per petias siue frustrà, & hoc idem eis dixerunt & super eo aduisarunt ipsos aliqui Cismontani, qui eos diligebant, ibi tunc existentes de eorum intentione iam certificati. Dicti autem tres Cardinales conati sunt ipsos cum bonis, & blandis verbis retrahere, sed tunc vnanimiter fortiùs infremuerunt, & voces suas exaltarunt, quæ cùm per ipsos aliis Cardinalibus reuelata fuissent, omnes nec immerito attoniti & stupefacti cogitare cœperunt, & inter se mutuo loqui quid facturi essent. Sed cùm clamor & tumultus prædictorum augerentur, & de subito insultu timuerunt, fuitque de voluntate aliorum, quod dicti tres Cardinales, qui prius eis locuti fuerant, ad dictam fenestram redirent, causa ipsos

C. R. & eorũ verba clarè indicabant.

retrahendi ſi poſſent, quod ſi non poſſent aliter eis dicerent, & promitterent pro parte omni, quod haberent Papam Romanum vel Italicum prout petebant, infra horam tertiarum diei ſubſequentis, ſperantes quod ſub huius promiſſionis prætextu à ſuo dicto furore retraherentur: quod & dicti tres fecerunt, ſed nec ſic alij ſe retrahere voluerunt, immò nec ceſſare ab incœptis: tunc iidem tres ad alios redeuntes, & eos de præmiſſis informantes, ad inuicem conferre cœperunt, quid Eccleſiæ & eis foret expedientius, in prædictorum manus incidere, aut contra conceptum, ſeu velle proprium, aliquem ipſorum eligendo inordinatæ condeſcendere voluntati. Sed propter augmentum dictorum clamorum, & fortificationem percuſſionis ad portam æſtimauerunt ipſius ſubitam fracturam, & ſic mortem iam propinquam ipſis imminere, cuius timor adeò corda eorum conturbauit, quod citra vlteriorem deliberationem inſiſtere nequiuerunt; ſed ſolum ad hæc declinauerunt, vt omnino ad mortis euitationem, totis viribus, & viis omnibus intenderent, & vacarent. Et quia viſum hoc fuit eis non

esse tunc possibile, nisi iuxta prædictorum petitionem, & voluntatem eligerent Romanum, vel Italicum ad sic faciendum descenderunt & vt instans periculum euitarent, aliàs tamen minimè facturi, si tunc ibi, vel alibi, in suis debitis libertate & securitate fuissent, secundùm quod aliqui eorum prius secretè in præsentia testium & notarij fuerant protestati, & fere omnes saltim Cismontani duas partes facientes effectualiter dixerunt in communi. Qui demum sunt angariati, angustiati, & molestati circa qualitates, & merita personæ eligendæ debitè deliberare non valentes, tandem aspectum habuerunt ad Bartholomæum de Pemhano, tunc Archiepiscopum Barensem natione Italicum, vt pote de Neapoli oriundum, ipsumque subito & ex abrupto elegerunt, credẽtes firmiter quod statum huiusmodi, & si forte pro eorum in demnitate ad tempus acceptaret, ipsum tamen citò priùs dimitteret, cùm de voluntate eorum, quæ ad hæc libera non fuerat existeret informatus, præsens enim fuerat in consiliis dictorum Romanorum, in quibus violentiæ prætactæ, ordinatæ ex-

C. R. de Prinhano.

titerant, & cum illatæ fuerunt, occulatâ fide prospexit. Et cum inter alios prælatos tunc curiam sequentes æstimaretur bonæ conscientiæ ac timens Dominum, essetque etiam informatus in iure, cùm doctor in iure canonico existeret, ac stilo curiæ, cuius Cancellariam tunc regebat, & sic sibi clarè constare poterat, talem electionem, factam per tam notoriam impressionem subsistere non debere: erat verisimiliter sperandum, quod statum prædictum, cum sua, & aliorum damnatione, nullatenus retineret. Et ita expressè eo tunc dictum fuit inter dictos Cardinales, qui demum dictis Romanis præsentibus, sicque cum instantia fieri poscentibus, ipsum intronizauerunt qui ab inde nomine proprio derelicto, Vrbanus sextus voluit nominari, nec fuit fas aut securum remedium dictis Cardinalibus Romæ existentibus, quominus paulopost coronauerunt, ipsumque in cæteris actibus tanquam Papam tractauerunt, attento quod Romani in suo priori peruerso proposito persistebant. Circa hæc etiam multa mala interuenerunt, quæ temeritatem & violentiam ac impressionem Romanorum exaggerant, aggra-

uant, & clarè demonſtrant quæ recitare omitto gratia breuitatis,&quia ad eorum onerationem ſatis credo ſufficere, quæ iam ſcripſi. Et etiam quæ extra conclaue attentata ſunt, ego ipſe tunc Romæ exiſtens, vt plurima vidi;ſuper his verò,quæ intra conclaue geſta vel dicta ſunt,me liquidè informarunt dicti Cardinales, cum quorum pluribus ſuper his ſæpius ſum locutus, & prout ea ab eis didici in his ſcriptis redegi,vt ea neſcientibus nota fiant, veniantque in memoriam aliorum qui de ipſis mentionem iam fieri audiuerunt, vel audient in futurum.

CLEMENS VII.

Ex eodem M.S. Regiæ Bibliothecæ.

CLEMENS Papa VII. frater Comitis Gebennenſis prius Robertus nominatus, fuit electus modo ſequenti. Poſt mortem enim Gregorij Papæ XI. Bandarenſes & duodecim capita Regionum, cum cæteris Officiariis qui pro tunc Romam, & Romanum populum regebant, manu armatorum,& cum po-

puli multitudine copiosa cōgregati coegerunt, compulerunt, & arctauerunt Cardinales tunc Romæ existentes, & ad quos pro tunc Romani Pontificis electio pertinebat in Conclaui iam reclusos, & adunatos pro electione huiusmodi celebranda, ad eligendum quemdam Bartholomæum de Prinhano Italicum & Neapolitanum, tunc Archiepiscopum Barensem, qui licèt falsò Vrbanum VI. se fecit nominari, mortem enim ipsis confestim attentare volebant, nisi ita fecissent, qui tali metu ducti, aliàs non facturi, ipsum in sede Apostolica inthronizauerunt, seu veriùs intruserunt, & demum coronauerunt, vt in historia dicti Gregorij latius est descriptum. Volēs autem dictus B. intrusus, factum suū huiusmodi, seu fastum, per vim & violentiā extortū, per fas siue nefas indebitè & scienter Dei timore postposito, suæque conscientiæ periculo procul pulso retinere, ac ipsum posse tenus stabilire statim disposuit ad sui fauorem & obedientiam, attrahere, & allicere, quoscúmque tam Ecclesiasticos quàm sæculares, per Nuntios & litteras suas ipsis offerendo, quæcumque eis sciret placibilia, etiam non-

dum petita. Quod videntes dicti Cardinales, considerantesque, quòd illa quæ in sui persona fecerant, nullius erànt efficaciæ, & valoris: quanto citius commodè & tutè potuerunt, se ab ipso totaliter segregauerunt. Ipsúmque per medium certarum nobilium personarum, de suæ prætensæ electionis vitio, quaque intentione seu voluntate processerant ad eandem penitus informarunt. Ac vt ab incœptis desisteret, statumque prædictum valdè indebitè assumptum dimitteret, caritatiuè & sæpius monuerunt: at dominandi libidine cœcatus, non audiuit, & acquiescere recusauit: & ideo post maturam deliberationem, facta per duas partes ipsorum in Anagnia Ciuitate, ad quam se retraxerant declaratione solemni, qua illa quæ in sui persona fecerant propter vim dictorum Romanorum, ac timore mortis quam viderant sibi per eos intentari nisi fecissent quod petebant, facta fuerant, quæque talia ex tunc minimè ratificauerant, approbauerant, aut confirmauerant, per quæcumque dicta, facta, aut scripta, per eos à tempore ereptionis ipsorum à periculis memoratis causa faciendi electionem aliam mo-

do debito & iuridicè, cum præmissis obstantibus eam Romæ facere non valerẽt, ad Ciuitatem Fundanam se transtulerũt, vbi securos se quoad hoc æstimarunt, præsertim propter Honoratum eiusdem Comitem & Dominum, qui de dicta intrusione plene certificatus, tanquam zelator feruidus fidei & Ecclesiæ, eis continuè auxiliis & fauoribus assistebat. Cúmque ad Ciuitatem huiusmodi omnes qui in dicta intrusione interfuerant, vno excepto qui decesserat paulo ante, peruenissent, consiliis & deliberationibus præhabitis; prout tanti negotij qualitas exigebat, die vigesima mensis Septembris, Anno Domini M. CCC. LXXVIII. in Palatio dicti Comitis congregati paternè, liberè, debitè, & canonicè elegerunt in Papam Clementem supra dictum, tunc Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, qui pro tunc erat satis iuuenis ætatis, scilicet, XXXVI. annorum, aliàs tamen magnis virtutibus adornatus, fueratque priùs sedis Apostolicæ Notarius, post verò Morinensis, & successiuè Cameracensis Ecclesiarum Episcopus, & ab inde per dictum Gregorium Romanæ Ecclesiæ

clesiæ Presbyter ordinatus. Qui demum fuit per eos in Papam inthronizatus, & coronatus. Ad ipsius autem personam aspectum habuisse dicuntur vltra merita sua, specialiter propter duo. Primò quia erat admodum bene paratus, totúsque agilis & dispositus ad laborandum, & sic tenebant eum esse cordatum, & animosum, & voluntarium ad exponendum etiam propriam personam vbi necesse existeret, pro liberatione & ereptione Romanæ Ecclesiæ, à manibus dicti B. intrusi in ea medio præmisso, ac ipsam occupare præsumentes, præsertim cùm in talibus, pro negotiis Ecclesiæ memoratæ aliàs exercitium & experientiam habuisset. Secundò, quia erat valde generosus in gradu consanguinitatis vel affinitatis, sed magis & minus attingeret fere omnes maiores Principes Christianos, propter quod sperauerunt, quòd tam consideratione Ecclesiæ, quàm contemplatione suæ personæ sibi vellent obedire, ac viriliter assistere, & fauere. Sed Domino permittente, non sic se res habuit, fuit enim ortum schisma pestiferum in Ecclesia, adeoque horrendum, & detestabile, quòd vix aliàs legitur gra-

uius extitisse. Totus namque mundus diuisus fuit; sed proh dolor! multò maior pars obediuit & adhæsit memorato Bartholomæo intruso, immo pro tunc quasi totus, & hoc propter ignorantiam veritatis eorum quæ contigerant in intrusione memorata, quæ licèt notoria extitisset, tamen propter malitiam Romanorum & intrusi, fuerunt multimodè palliata, occultata, & aliter quàm extitissent recitata, & diuulgata, nec in hoc fuit bonum remedium etiam inter illos qui dicto Clementi carnaliter per prius magis fauere credebantur. In hoc autem multimodè dicto B. intruso cooperati sunt Anticardinales, quos paulò ante creationem dicti Clementis creauerat, modo & numero inordinatis, & aliàs inauditis. Solus enim & absque quocumque Cardinali, licèt tamen vt supra factum est, iam omnes ab ipso essent separati, vno contextu, ad statum, sed veriùs fastum huiusmodi, quantum in eo fuit, nominauit, & assumpsit viginti nouem ferè de regionibus vniuersis, de quibus fuerunt aliqui pauci, qui ipsum Papam non reputantes, statum suum ab eo accipere renuerunt: aliqui verò processu

temporis ipſum ſtatum acceptum dimiſerunt; alios verò licèt inter eos eſſent nonnulli per prius ſatis notabiles viri reputati, ipſum acceptando excæcauit ambitio ſeu præſidendi libido. Fuerunt inſuper per eum tunc Bartholomæum tunc vel temporibus ſucceſſiuis quamplurimi alij multimodè in Eccleſia Dei licèt falsò promoti, præmiati, & exaltati, quorum & dictorum Anticardinalium miniſterio, & fauore, fereque per orbem vniuerſum, ſtatus ſuus licèt falſus fuit adeò ſolidatus & firmatus, quòd nihil ſapiens oppoſitum aliquis ex tunc niſi cum ſui corporis periculo loqui vel facere præſumeret, aut aliàs attentaret. Cui multùm ſuffragata eſt mora diutina, quæ fuit inter ſui intruſionem & dicti Clementis electionem, inter quas ferè quinque mẽſes effluxerunt, licèt illis pendentibus non aliud dicti Cardinales facere potuerunt, continuè inſiſtentes circa ſecuritatem propriam taliter procurandam, quòd in manus ſuas vel Romanorum qui eis aſſiduè inſidiabantur, incidere non poſſent. Quamquam cum tali & tanta maturitate ac ſana conſilij deliberatione ad dictam electionem procederent, quòd ni-

hil de contingentibus omittendo, non esset in posterum quod eorum culpæ vel negligentiæ deberent imputari. Dictus autem Clemens satis citò post assumptionem suam, volens, quantum in eo erat, circa præmissa prouidere de remediis opportunis, pro iustitiæ suæ, & nequitiæ sui aduersarij demonstratione, ad Reges & Regna suos Legatos & Nuntios destinare decreuit, & præsertim ad illos qui inter eos principaliores reputantur. Ad Regem namq; & Regnum Franciæ Dominum Ioannem de Croso Episcopum Prænestinum. Ad Imperatorem Romanorum & Regna Alamanniæ & Boemiæ, ac alias terras Imperij eis adiacentes, Dominum Guillelmum de Agrifolio titulo sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem. Ad Regem & Regnum Angliæ, Duces & Ducatus Brabantiæ, & Guelriæ Comites, & Comitatus Flandriæ & Haynoniæ, patriamque Leodiensem, Dominum Guidonem de Malosico, titulo sanctæ Crucis in Ierusalem Presbyterum Cardinalem, & ad Reges, & Regna Hispaniæ, Castellæ videlicet, Arragonum, Nauarræ, & Portugalliæ, Dominum Petrum de Luna

Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem accessuros. Ordinauit demum vt in ipsorum absentia, eorumque loco haberet alios sibi assistentes. Die XVIII. mensis Decembris anni prædicti M.CCC.LXXVIII. quæ fuit feria VI. Quatuor Temporum, sex nouos creauit Cardinales: videlicet Dominum Iacobum de Itro Campanum tunc Patriarcham Constantinopolitanum, Dominum Petrum Amelij Aruernigenam Monachum Ordinis sancti Benedicti, tunc Archiepiscopum Ebrodunensem, Dominum Nicolaum de Branchaciis Neapolitanum, tunc Archiepiscopum Cusentinum, Dominum Petrum de Barreria Diocesis Rutenensis, tunc Episcopum Eduensem, Dominum fratrem Nicolaum de sancto Saturnino Aruernigenam, Ordinis fratrum Prædicatorum, tunc Lectorem Palatij in sacra pagina Magistrum. Circa quod est sciendum, quòd duo penultimi erant prius nominati & assumpti ad dictum statum, licèt falsò, & inaniter per dictum Bartholomæum intrusum, sed tamen certificati de sua intrusione, ipsum acceptare ab eo recusarunt. Eodem tempore obiit Carolus Romanorum Impera-

tor, qui paulò ante illectus & circumuentus per dictum B. intrusum pro eo quod omissis solemnitatibus in talibus obseruari consuetis, electionem per prius ad eius procurationem factam tempore Gregorij Papæ XI. per Electores Imperij de Venceslao Rege Boemiæ filio suo in Regem Romanorum, approbauerat, & confirmauerat, etiam non petitus aut requisitus per eum, sibi obedire, ac adhærere decreuerat, ac ipsum pro vero Papa tenere & habere disposuerat, & declarauerat. Sicque seruari & obseruari voluerat, & mandauerat per præfatum Regem filium suum, qui etiam in hoc inhærens paternis vestigiis sic fieri voluit, seruauit, mandauit, & ordinauit in Regno Boemiæ, & generaliter in omnibus terris & dominiis suis, sibíque & Imperio subiectis. Nec fuit qui huiusmodi ordinationem voluerit, aut ausus fuerit contraire. Comitibus Sabaudiæ consanguineo & Gebennensi fratre dicti Clementis, Ducibúsque Lotharingiæ, & Barrensi, ac aliquibus aliis Comitibus & dominis temporalibus, Ciuitatibus & locis, eorúmque territoriis, & dominiis circumadiacentibus dumtaxat exceptis.

Propter quod memoratus Dominus Guillelmus de Agrifolio Presbyter Cardinalis ad partes illas per dictum Clementem Legatus, & destinatus, circa ipsorum reductionem nihil proficere potuit, nisi dumtaxat quòd Duces prænominatos cum subsequentibus de iustitia dicti Clementis informauit, & ad ipsum deduxit, & in bono proposito confirmauit, licèt tandem continuè petens sibi dari audientiam fuit diutius in Alamannia, terris videlicet Leopoldi Ducis Austriæ iunioris, qui in propria dicto Clementi fauit, & adhæsit, & faueri voluit in terris suis & locis, non tamen omnibus, ne se cum aliis parti aduersæ fauentibus inbricauit. Carolus insuper Rex Franciæ postquam per dictum Dominum Ioannem Episcopum Prænestinum Cardinalem ad eum destinatum per præfatum Clementem & alios de dictis intrusione, & electione plene informatus extitit, cum toto Regno & subditis suis eidem Clementi adhærere & obedire cum magna solemnitate decreuit. Non tamen sibi in hoc paruit Ludouicus Comes Flandriæ, licèt subditus & vassallus suus ac dicto Clementi gradu consanguinitatis

proximè alligatus, & aliàs per prius inter omnes homines mundi sibi specialius amoris vinculo confœderatus, & coniunctus, qui nescitur quo ductus spiritu pertinaciter adhærere voluit intruso memorato, admittereque ac adire recusauit in dominiis suis præfatum Dominum Guidonem de Malosico Presbyterum Cardinalem, qui partim ad ipsum per dictum Clemetem fuerat destinatus. Qui etiam pari modo malitiosè extitit impeditus, quominus regnum Angliæ intrauit, ac in eo, & cæteris regionibus, & prouinciis ad quas fuerat destinatus ad effectum deduxit illa, quæ in prædictis sibi commissa fuerant per Clementem memoratum. Eodem currente tempore obiit Henricus Rex Castellæ, cui in regno suo successit Ioannes filius eius, ad quem paulò post venire disposuit præfatus Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis, prout sibi commissum extiterat per Clementem prædictum. Sed quia præfatus Henricus pater suus non informatus de iustitia dicti Clementis moriens adhærebat & obediebat B. intruso, quem sibi absque alia pleniore informatione ipsum pro tunc admittere recusauit: & quia

idem effectualiter fecerunt omnes Reges Hispaniarum cum regnis suis pro tunc fauentibus & adhærentibus B. intruso, habuit Cardinalis prædictus inter eos manere tanquam regnicola, potiùs quàm vt Cardinalis vel Legatus per aliquos annos, quibus currentibus dicti Reges sic super præmissis informati fuere, quòd per Dei gratiam ipse finaliter suæ Legationis effectum laudabilem assecutus, prout infra loco suo pleniùs describetur. Porro dictus Clemens istis contingentibus in regionibus memoratis, de Fundis mutauit Curiam ad locum de Splonata diocesis Caietanæ, & abinde paulò post cum paucis Cardinalibus per mare venit Neapolim ad Ioannam Reginam Siciliæ, ipsum honorificè & solemniter suscipientem. Quæ satis citò informata de intrusione dicti B. cui quantum in se erat mentaliter non obedire decreuerat, sed quam primum per Collegium Cardinalium alium eligi contingeret, sub debita forma ipsi obedire. Auditáque electione dicti Clementis, sibi confestim obediuit, & adhæsit, sibique obedientiam fieri mandauit per omnes subditos suos, ac in omnibus terris, & dominiis suis vbili-

bet conſtitutis : non obſtante quod dictus intruſus naturaliter eſſet ſubditus ſuus,& vt præmiſſum eſt,de Neapoli traxiſſet originem. Cui ac etiam ſuis hoc valde moleſtum extitit, & ingratum,qui etiam cum eorum fautoribus numero non paucis, ſic & taliter tractauerunt, & operati ſunt, quòd dicto Clementi Neapoli exiſtenti , ac cum Regina tractanti quomodo aduerſus ipſum præualere poſſet,rumor concitatus eſt contra eos adeò fortis,& magnus,quòd ne vtrique maius immineret periculum , ipſum Clementem ſubitò vnde venerat oportuit remeare: vbi cùm perueniſſet ſatis à certo comperuit,quòd dictus intruſus continuè inſidiabatur, moliebaturque eum comprehendere , aut aliàs in perſona damnificare ſi poſſet , in quo quaſi totam Italiam tam in terra quàm in mari ſibi adhærentem, & colligatam habebat. Conſiderato igitur quod ſibi pro tunc non aderat ſuffragium ſeu auxilium ſufficiens, quo mediante contra dictum intruſum præualere poſſet, ac vbi erat diutius ſecurè manere , tam pro ſecuritate ſua , quàm Eccleſiæ, & cauſæ ſuæ proſecutione deliberauit partes adire Ciſmontanas , vt

abinde Regis Franciæ, & aliorum ſibi fauentium fretus auxilio, meliùs, liberiùs, & ſecuriùs, in agendo intendere poſſet, & fructuoſiùs operari, occurrentibuſque ſibi caſualiter, immo, vt creditur diuina gratia diſponente, certis galeis & nauigiis, Anno Domini M.CCC.LXXIX. menſe Maij mare intrauit cum Cardinalibus ſuis, exceptis duobus, videlicet Domino Iacobo de Itro titulo ſanctæ Praxedis, & Domino fratre Leonardo titulo ſancti Sixti Presbyteris Cardinalibus, qui pro ſuorum vel Eccleſiæ negotiorum proſecutione, fauentiúmque ſibi conſolatione in partibus illis tunc remanſerunt. Et licèt non ſine magno periculo, diuino ſibi aſſiſtente præſidio, ſaluus & incolumis Maſſiliam applicuit x. die Iunij ſubſequentis. Ab inde iter ſuum verò continuando Auenionem peruenit, vbi fuit receptus cum magna ſolemnitate, & gaudio generaliter ab omnibus, & præſertim à Cardinalibus quinque, ſexto iam defuncto, quos ibi dimiſerat Papa Gregorius ſupradictus. Qui habita informatione de intruſione memorata, & ſui electione canonica, per priùs ſibi adhærere & obedire decreuerant tam-

quam vero Papæ. Poſtquam verò dictus Clemens fuit in Auenione, quantum fuit ſibi poſſibile, auxilium præbuit & ſuccurſum tam dictæ Reginæ Siciliæ, quàm aliis fautoribus valitoribus & bellatoribus ſuis in partibus Italiæ derelictis, quibus mediantibus erant ſecuri aduersùs dictum intruſum, ac ipſum etiam haberent poſſe tenus impugnare, & his & aliis ſibi pro tunc imminentibus aſtitit præfatus Rex Francorum Carolus auxiliis, conſiliis, & fauoribus opportunis. Qui etiam vt per agnitionem veritatis & iuſtitiæ dicti Clementis, demonſtrationemque nequitiæ intruſionis aduerſarij ſui, ſchiſma ſedari poſſet, & extingui, quamplures Ambaxiatores fere ad omnes Principes, & Regiones vniuerſas ſæpius deſtinauit, ipſos exhortans, & requirens, vt ſi non ſic faciliter vellent ad obedientiam dicti Clementis inclinari, ſaltem patienter audirent pro ſui parte proponenda, quemadmodum audiuerant propoſita per partem aduerſam. Sed heu! tanta fuit ferè vbique obſtinatio, quòd nedum huiuſmodi audientia denegata extitit, ſed etiam quorumcumque miſſorum per dictum Clementem à di-

cto B. impedita fuit. Quibus vt quantum posset obuiaret conuenienter, & prouideret dictus Clemens deliberauit ad fortiora apponere manus: & primò fortificatis dictis suis valitoribus, & fautoribus quos in Italia habebat, tam gentibus, quàm pecuniis, prout sibi possibile fuit, ipsisque animatis, & inductis, vt ad dicti intrusi, Romanorumque ipsum fauentium persecutionem totis viribus intenderent, ad arma spiritualia se conuertit, fecitque processus contra prædictos eorúmque fautores, prout ius, ratio, & æquitas dictauerunt. Sed proh dolor! non ex eo præualuit, nam etsi quandóque victores extiterunt, sæpe & ipsi fuerunt victi: sed multo minùs ex secundo, nedum enim processus sui dicto intruso fuere contemptui, sed etiam ipse similes contra eum, suósque de facto fulminare præsumpsit, sicque tunc incaluit, inualuit, efferbuit, schisma prædictum, quòd toto tempore quo ipsi cucurrerunt, eorum occasione tota Christianitas in maxima turbatione, & inaudita diuisione permansit. Qui enim per priùs veri Prælati, aut aliorum beneficiorum ministri extiterāt, adhærendo vni ipsorum per alium de se-

dibus aut beneficiis ſuis expulſi ſunt, & alij noui eorum loco ſubrogati. Quod permaxime contigit de adhærentibus dicto Clementi, qui per antea promoti aut beneficiati erant in partibus fauentibus & obedientibus dicto B. qui eos in perſonis & bonis eſt adeò immaniter proſecutus, quòd oportuit ipſos ad dictum Clementem recurrere, & vt ipſorum inopiæ ſubueniret ab ipſo humiliter poſtulare: quod ſibi non fuit vſquequaque poſſibile, propter ſuæ obedientiæ paruitatem, cùm etiam quoad hoc & alia plurima inconuenientia ei non ſuppetebant facultates, propter quod prædictorum quamplurimi, qui per prius abundauerant, erantque viri notabiles, in paupertate & miſeria viuere & mori habuerunt, quorum exemplo multi alij non ſic mente conſtantes perterriti præelegerunt in ſuo ſtatu primæuo, quamquam ſub ſchiſmatico præſidente permanere, quàm tali miſeriæ ſubiacere. Fuere etiam quamplures alij quos adeo excæcauit ambitio, quòd licet dictum Clementem mentaliter crederent eſſe Papam, à dicto tamen B. inſtantibus bonis ſublimari & promoueri voluerunt, nec curarunt ſi ex tali-

bus mundi lucrandis, suæ animæ paterentur detrimentum. Fuerunt præterea nonnulli qui in dictis Prælaturis aut beneficiis ab vtroque sibi taliter procurandis, illi demum adhæserunt, sub cuius fauore prædictis se magis gaudere viderunt ad qualitatem, seu potestatem conferentis nullum aspectum habendo. De illis autem qui se vænales constituendo, pretio appretiato veritati suam fidelitatem, seu potiùs infidelitatem demonstrarunt, vtpote promotionés pro se & suis inuerecundè postulãdo, immò quod auditu nefandum extitit, pecuniam & alia bona tam Ecclesiastica quàm temporalia, in Ecclesiarum, & personarum particularium ad quas spectare decebat præiudicium & iacturam, improbè expetendo. Non est per singulos discurrendum, cùm etsi bene considerentur, innumerabiles fuerunt in vtroque statu, Ecclesiastico videlicet & mundano, qui potius aliena quàm sua, & non Iesu Christi expetierunt. Et vt in paucis multa comprehendam, hoc tempore maligno, dictique pestiferi schismatis occasione, innumerabilia mala, & pericula tam animarum quàm corporum prouenerunt,

videlicet corruptiones morum, strages plurimorum, depressiones bonorum & humilium, exaltationes reproborum, & vilium iuuenum, & indignorum promotiones: Ecclesiarumque & cæterorum spiritualium & Ecclesiasticorum aperta venditio; hæresum & errorum publicatio; virtutum & bonorum operum cessatio: criminum & peccatorum multiplicatio, guerrarum & præliorum commotio; omneque bonum obedientiæ, in contumaciam & contemptum conuersum est, & religio in Apostasiam est redacta. Et quia ista partim audiui, partim vidi practicari, ideo licèt flens & eiulans recenseo, partem vtramque tunc temporis ex ipsis fuisse læsam, vt aduersæ culpam recitando, meam excusare non videar, cùm satis hoc vulgus nouerit, & officij per me assumpti debitum existat, vt nulli deferendo, sicut meritorum, sic & vitiorum veritas conscribatur; & sicut de aduersario, sic de proprio veritas in omnibus referatur. Nunc autem ad alia quæ dicta durante tempestate contigerunt, habeo vertere folium meum. Et primò pro anno M.CCC.LXXX. familiares multi Ludouici Ducis Andegauensis,

sis, fratris & tunc locum tenentis Regis Franciæ in partibus Occitanis, per eum missi ad Montempessulanum causa exigendi certum subsidium, ab incolis eiusdem loci, per eos se reputantibus super inde grauari, nocte tamen nequiter interfecti, & trucidati fuere vnâ cùm aliis pluribus, qui in hospitiis publicis in quibus prædicti locabantur, inuenti sunt: licèt eis essent extranei, & aliàs præmissorum inculpabiles, & ignari. De quibus dictus Dux furore repletus, vehementer indignatus est, & ad vltionem debitam recipiendam, viriliter & magnificè se disposuit, & accinxit; volensque si & in quantum esset sibi possibile dictum locum funditus diruere, & eius incolas neci tradere vniuersos. Sicque vt creditur, etsi non in toto, saltem pro maiori parte ad effectum deduxisset, nisi fuisset dictus Clemens qui sic se interposuit, quòd dictus Dux recepta satisfactione condigna placatus extitit, & dictus locus cum suis incolis respectu perpetrati sceleris, satis illæsus & indemnis remansit. Eodem etiam anno M. CCC. LXXX. die XVI. mensis Septembris, obijt Carolus Rex Franciæ, cui successit in re-

gno Carolus Delphinus VII. Viennensis suus filius primogenitus. Qui eodem anno XVI. mensis Septembris fuit coronatus Remis in Regem, vt moris est adhuc duodennis existens: Cuius regni regimen pro tunc assumpsit dictus Ludouicus Andegauensis suus patruus prior natu, personæ tamẽ curam habuit Philippus Dux Burgundiæ suus etiam patruus, licèt posterior natu, & hoc ex ordinatione certa super hoc facta per dictum Carolum patrem suum. Cuius obitus fuit admodum damnosus Ecclesiæ, cùm ipse circa sedationem schismatis in ea tũc vigentis totis viribus insisteret, & vacaret, & doceret per operam efficacem vt cæteri Reges & Principes facerent illud idem. Eodem fere tempore currente, Flandrenses rebellarunt se ipsorum Comiti, ipsúmque patria sua expulerũt, multísque officiariis eius interfectis, locum suum amœnissimum mirabiliter ædificatum *De ondenarde* diruerunt, & ad terram funditus prostrauerunt. Sed demum per medium & operationem Philippi Ducis Burgundiæ dicti Comitis generi, de ipsis fuit incœpta vindicta: nam congregato magno exercitu armatorum, præfatus Carolus no-

uus Rex Francorum, in ſuccurſum & adiutorium dicti Comitis vaſſalli ſui, dicto Duce, & aliis magnatibus regni ſui concomitantibus ingreſſus eſt Flandriam, ipſámque vndique vaſtans, ignéque & gladio omnia conſumens, & ibi prædictis Flandrenſibus in multitudine innumerabili occurrentibus, ſibíque poſſe tenus viriliter reſiſtētibus, dedit afflictum, in quo infiniti ex ipſis corruerunt, immò vix vnus ex eis viuus dicitur remanſiſſe, loca etiam omnia plana, aperta & non fortificata dictæ patriæ, nedum in bonis, ſed etiam in perſonis fuerunt expoſita prędæ, quæ quantíque valoris fuerit inæſtimabile dictum fuit. Non tamen propter hoc rebelles adeò domati sũt, quàm hi qui ſuper extiterunt, adhuc quamplurimi numero potentes, in armis & diuitiis abundantes in ſua rebellione perſtiterunt dicto Comiti alij fieri ſubditi recuſantes, licèt ſucceſſiuis temporibus ad hoc inducti fuerunt, non tamen dicto Comite ſuper exſtāte cùm ſatis citò poſt præmiſſa de medio ſublatus extiterit, nec ſine magnis laboribus, & expenſis Ducis Burgundiæ memorati, ad quem ratione vxoris ſuæ filiæ vnicæ dicti Comitis pa-

trimonium huiusmodi debuit pertinere, qui tam vi armorũ quàm aliàs circa eorũ donationẽ, reconciliationem, & pacificationem sic operatus est, quòd paulatim qui socero suo rebellauerant, suo se dominio subdiderunt. Per idem etiam tempus ciues Londonienses adunatis sibi aliis concomitantibus Angliæ, contra officiarios Regis eorum insurrexerant, multósque ex ipsis interemerunt, inter quos Dominus Simon de Suberia Archiepiscopus Cantuariensis dicti Regis Consiliarius, qui prouidens mortem sibi imminere, crucem gestans, Pontificalibúsque indutus populo furenti se exhibuit, putans quòd saltem ob reuerentiam Pontificalis dignitatis ab eius inuasione desisterent. Sed ad hoc nullo habito respectu in eum insiluerunt, capútque ipsius & brachium dexterum truncauerunt, & ea per dies aliquos ad spectaculum in valuis seu muris dictæ ciuitatis appensa seu affixa tenuerunt, de quo vltio aliqua non tamen condigna dicitur fuisse facta; tum quia aliqui ex regalibus præfatis fauere & assistere dicebantur; tum etiam quia Rex tunc iuuenis erat, & timuit quod deteriùs sibi contingeret, si ad

grauiora procedere voluisset. Eodem præterea tempore Bartholomæus intrusus volens Ioannam Reginam Siciliæ memoratam adhærentem præfato Clementi amplius molestare, ipsam finaliter licèt de facto priuauit regno suo, & constituit nouum aduersarium & inimicum videlicet Carolum de Duracio, aliàs dictum de Pace, quem in Regem Siciliæ & Ierusalem in propria coronauit, & vt aduersùs dictam Reginam viriliter procederet incitauit, dans ei in hoc posse tenus fauorem, consilium, & iuuamen. Quo audito per dictam Reginam de voluntate & consensu dicti Clementis, cùm ipsa liberos non haberet, sibi adoptauit in filium præfatum Ludouicum Ducem Andegauensem, volens & ordinãs, quòd post eius discessum ipse in dicto Regno sibi succederet, & iterum sibi dedit Ducatum Calabriæ per primogenitos Regni teneri consuetum. Quæ omnia dictus Clemens tanquam Dominus directus & superior eiusdem Regni confirmauit, & approbauit, ac voluit in posterum habere firmitatem. Poposcit insuper dicta Regina, ac cum instantia postulauit à dicto Duce, vt confestim & sine

mora ad eam venire disponeret, sibiquè viriliter succurrere procuraret: & ne dictus aduersarius suus, ipsam & regnum suum inuaderet, ac aliàs aduersùs eam præualeret, de gentibus, armigeris, ac aliis ad dictum negotium opportunis, sibi illico sufficienter prouideret. Istis autem pendentibus, dictus Carolus de Pace, fretus auxilio, & fauore prædictis, Neapolim intrauit, ac dictam Règinam cum omnibus fere suis captiuauit: occupatáque huiusmodi Ciuitate cum castris eiusdem, etiam maiorem partem dicti Regni occupauit, ac sibi obedientem & fauentem inuenit. Eodem etiam tempore erãt Neapoli duo Presbyteri Cardinales supra nominati, videlicet, Dominus Iacobus de Itro, & frater Leonardus de Griffono, cum multis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus & aliis viris Ecclesiasticis, qui dicto Clementi obediebant, & fauebant, qui vnâ cum dicta Regina captiuati fuerunt, & demum diutiùs detenti ac duris carceribus mancipati, in quibus, administrationibus cæterisque bonis suis perditis, in egestate, pœnis, & miseria aliqui suam vitam duxerunt, aliqui verò finiuerunt, inter quos fuit dictus Cardi-

ãs memoratus, qui totus cordatus, & intrepidus, fidem ſuam illæſam ſeruans, ibi tandem poſt multas afflictiones vitam velut martyr conſumauit. Iſtis in dictis regionibus ſe habentibus Ioannes Rex Caſtellæ habita plena informatione ſuper intruſione dicti Bartholomæi, ac ſubſequuta electione canonica Clementis memorati, cum ſolemnitate, & maturitate debitis pro parte dicti Clementis ſe & regna ſua declarauit, volens ab inde ſibi tanquam Romano Pontifici obedire, ſicque fieri mandauit in regnis ſuis & dominiis per omnes ſubditos ſuos. Ad hoc autem proceſſit cum conſilio & conſenſu vnanimi Prælatorum, Collegiorum, Conuentuum, Ordinum, Magiſtrorum, Doctorum, Magiſtratuum, Nobilium, Ciuitatum, Comunitatum, Procerum, & aliarum perſonarum notabilium dictorum Regnorum ſuorum. Quibus expeditis Dominus Gauterus Gomecij per prius Epiſcopus Palentinus, qui per præfatum intruſum B. ad ſtatum, ſeu veriùs faſtum Anticardinalatus aſſumptus extiterat, ipſúmque acceptauerat, ac pro tali, & etiam Legato eius in dictis regnis diu ſe geſſerat; de præmiſſis

etiam informatus ad cor rediens, dictum Bartholomæum abiurauit, & ad dictum Clementem se conuertit, ipsum verum Papam profitens, B. abnegans, statum præfatum ab ipso receptum totaliter derelinquendo, & idem per omnia fecerunt multi alij, qui tam ad Episcopatus quàm ad alias varias dignitates, & plurima beneficia per dictum B. intrusum promoti extiterant in eisdem regnis: hæc autem omnia facta sunt sibi cooperante diuina gratia, per ministerium, sollicitudinem, & prouidentiam memorati Domini Petri de Luna Diaconi Cardinalis, qui vt supra tactum est, illuc per dictum Clementem Legatus fuerat destinatus, & ad hoc continuè vacauerat, quasi à principio Pontificatus sui, de cuius mandato demum præfatum Dominum Gauterum in verum Presbyterum Cardinalem assumpsit, precibus & instantia dicti Regis, multos etiam ex aliis promotos per dictum B. intrusum in statu indebito per ipsum eis commisso seu collato, dimisit, verum titulum auctoritate dicti Clementis eis conferendo. Qui etiam dicto durante tempore sic operatus est, quòd licèt in aliis regnis Hispaniæ ad quę

etiam pro tunc fuerat destinatus dictus Clemens non habuerit obedientiam plenam, ipsa tamen à dicto B. qui solus eam obtinebat, totaliter subtracta, nulli eorum adhærendo, ad quamdam indifferentiam, seu neutralitatem comuniter sunt redacta, quamquam inter ipsos plures extiterint publicè aut occultè memorato Clementi adhærentes, ac suas gratias recipientes, & petentes, de quorum omnium pura, & manifesta declaratione tandem subsecuta fiet mentio inferiùs suo loco. Anno Domini M. CCC. LXXXIII. Mense Maij Auenione conuenerant Ludouicus Dux Andegauensis, & Amedeus Comes Sabaudiæ superiùs nominati, cum exercitu magno, ac manu notabili armatorum, progredi cupientes versus partes Italiæ, tam pro impugnatione B. intrusi, & sibi fauentium, quàm liberatione Ioannæ Reginæ Siciliæ memoratæ, per præfatum Carolum de Duracio iam detentæ, ac recuperatione regni sui pro maiore parte occupati per eumdem, fuitque constitutus & ordinatus Generalis Capitaneus dicti exercitus memoratus Dux Andegauensis per dictum Clementem Papam, sibíque datum

in mandatis, vt nedum nomine proprio, ſed etiam Eccleſiæ & ſuo ad negotia procederet ſupradicta. Qui etiam volens ipſum & dictum Comitem per amplius honorare, ad eorum inſtantiam & ſupplicationem die xxx. dicti menſis in Presbyterum Cardinalem aſſumpſit, Dominum fratrem Thomam de Caſſato Ordinis Prædicatorum priùs Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, Prouinciæ Lombardiæ, de Pede montium oriundum, virum vtique grandęuum, manſuetum, virtuoſum, bene litteratum, licèt non in Theologia Magiſtrum. Arripuit ergo iter ſuum cum dicto exercitu, ipſum per planam Lombardiæ, & terras Eccleſiæ proſequendo, quod vtique licèt non ſine magnis laboribus, & expenſis, aliàs tamen ſatis fœliciter & pacificè conſummauit. Declinauitque primò in Ciuitate Aquilanenſi ſub fauore & obedientia dictæ Reginæ perſiſtente, quæ quaſi ſub introitu dicti Regni ſituata exiſtit, quam nauigia multa victualibus, & aliis ſibi neceſſariis onerata ſunt illico ſubſecuta: veniendo tamen obliquauit viam quæ directè Romam tendebat, quæ etiam rectior, & melior exiſtebat, quam ſi tenuiſſet, & ali-

qualem molestiam Romanis, seu eorum territorio intulisset, creditur indubiè quòd dicti Romani B. intrusum ibi tunc existentem cum suis Anticardinalibus sibi tradidissent, & ita inter se facere deliberauerant audientes eius potentiam, cui se non posse diutius resistere existimabant, nolebantque perire, aut damnificari propter ipsos. Quod si factum fuisset, schisma in Ecclesia ortum satis citò finem habuisset: sed hoc obmisso, & quodammodo contempto aspectum habuit ad propria, ad conquestam videlicet dicti Regni potius quàm pacificationem Ecclesiæ anhelando, quod ante gratum Deo extiterat, licèt de his quæ ab eius secreta dispositione procedunt, non sit meum aut alterius iudicare, tamen per ea quæ videmus exterius, magis eius displicentiam possumus denotare; cùm ex tunc quasi continuè aduersa sibi contigerunt, sed prospera raro: aduentus enim eius iam diu præscitus per suos aduersarios extiterat, qui sic disposuerant, quòd Ciuitates, loca & castra inuenit vt plurimum fortificata, munitaque victualibus, armis & gentibus, ad sibi resistendum viriliter dispositis, & ap-

paratis; fueruntque blada, vina, pecora, equorum pabula, aut in eis recondita, exteriùs vel consumpta, sicque pro tunc non fuit locus aliquis contra suos inimicos faciendi: & quia loca sibi fauentia, quæ satis pauca erant, bene disposita non erant ad ipsam cum suo capiendum, victualia etiam eorum non adeo abundabant, quod sine propria penuria sibi sufficerent: oportuit ipsum seu saltim maiorem partem exercitus per aliquod tempus in locis paruis, & miseris, & campestribus permanere; hiems etiam superuenit, niues, pluuiæ & aquæ inundauerunt, gelu, venti, & frigora suum tempus debitum reddiderunt. Inimici insuper sui sibi insidiantes, vbi, & quomodo potuerunt, suas gentes expugnauerunt, quibus omnibus causantibus, eique obstantibus sibi aut dicto exercitui suo nō licuit victualia hinc inde perquirere prout eorum necessitas exigebat, & sic his quæ per prius habuerant consumptis multas egestates & miserias sunt perpessi. Dicto etiam durante tempore præfata Ioanna Regina immaniter fertur interempta fuisse per ministros dicti Caroli, & sic fieri ordinante. Modus autem interem-

ptionis suæ variè extitit narratus : nam aliqui dixerunt ipsam strangulatam, aliqui sub vna culcitra suppositam, ligatisque manibus & pedibus suffocatam : & quia tam in dicto Regno quàm alibi, fauore & amore sui multi Duci memorato adhærebant aliàs non facturi, audito eius obitu, sic dorsa verterunt se ad hostem suum conuertentes, de quibus fuere primi dictorum nauigiorum conductores, & patroni, qui statim cum eis retrocesserunt ad partes Prouinciæ vnde venerant, qui etiam illico suum dominium abhorrentes sibi apertè rebellarunt; hosti prædicto adhærentes, Dominis de Saltu & cæteris aliis nobilibus, qui cum ipsis ierant, Massiliensibus & Arelatensibus Ciuibus, & aliquibus aliis, licèt paucis, dumtaxat exceptis : sicque quoad ipse vixit, continuè permanserunt, licèt tamen maximis turbationibus & incommodis, quæ occasione huiusmodi eis prouenerunt, propter guerras ipsis motas, & admodum rigidè continuatas pro parte ipsius Ducis toto tempore supradicto. His verò tunc sic se habentibus in partibus illis, Regnum Franciæ nouitates quamplurimæ non modicum turbauc-

runt, in Senescalliis namque Bellicadri, Carcassonæ, & Tolosæ, populares, quos vulgariter nominabant Coquinos, contra maiores & præcipue nobiles, & officiis regiis implicatos insurrexerunt, ipsos immaniter persequentes: quos enim ex ipsis capere poterant absque misericordia trucidabant, eorum bona rapiebant, loca, castra, & domus totaliter diruebant absque iudicio, nullo respectu habito, nulláque ratione seruata ad talia procedentes, & in hac maledictione continuantes assentiebant incolæ fere omnium nobilium locorum partium prædictarum. Quibus hoc attentandi præbuit occasionem, & audaciam, continuata & immoderata *indictio* talliarum, & impositionum diuersarum, ex quibus grauabantur nimium, immo & eorum] quamplurimi perducti ad egestatem mendicare cogebantur. Istis autem resistere, eosque opprimere viriliter & potenter conatus est Ioannes Dux Bituricensis, tunc Locum tenens Regis, ac regimen habens partium earumdem. Sed licèt cum eis diu concertauerat, tamen aduersùs eos præualere non potuit de tempore magno, præsertim in partibus

Tolosanis, in quibus eorum fautorem præcipuè reperit Gastonem Comitem Fuxi, qui eis cum manu potenti, & brachio extento contra ipsum continuè assistebat. Demum tamen diuina operante gratia, demeritis grauiter punitis personaliter vel in bonis prædicta cessauerunt, & ad statum pacificum sunt deducta. Eodem etiam fere contextu quo & præmissa inualuerunt eis similia ciues Parisienses machinati sunt attentare, quorum directores, & promotores esse decreuerãt illos qui Malleatores, seu Malleti vulgariter nominantur, sed eis deductis ad notitiam Regis, & assistentibus sibi, quotquot ex eis culpabiles inuenti sunt, morte damnati, aut bonis spoliati, aut in exilio damnati fuerunt. Arma insuper omnia ciuium prædictorum ad palatium regium delata fuerunt, & vltra pœnas tam pecuniarum, quàm alias eis impositas ad ædificandum, suis sumptibus & expensis castrum sancti Antonij miræ fortitudinis prorsus iuxta portam sancti Antonij habens introitum, & exitum liberum intus & extra mœnia ciuitatis condemnati extiterunt, ad aliorum terrorem, memoriamque detestabilem machina-

mum, & libentiùs contra ipſas patrocinium aſſumebat, qui ſi ſui occaſione quãdóque grauatæ fuerunt, Deum in hoc vltorem præſumitur habuiſſe, qui facta ſuis, ſibi facta reputans, tales conſueuit deprimere, aut vltione ſimili radicitus extirpare, ſicut è contra ſuorum fautores æternaliter perimat, & hic ſæpius erigit & exaltat. Quemadmodum de Magiſtro Iacobo de Fitiniaco notabili aduocato, dictique Ioannis contemporaneo in Parlamento, qui Eccleſiarum zelator feruidus, ſuorum iurium defenſator præcipuus ac aſſiduus ſemper fuit, tunc dicitur contigiſſe, ipſum enim exaltauit Altiſſimus, deditque ei gloriam non modicam in hoc mundo, cùm ipſum de ſtatu tam infimo Aduocati ſcilicet & Archidiaconi in Eccleſia Carnotenſi, ad ſtatum Cardinalatus ordinauit promoueri per Clementem Papam prædictum, qui aliquibus ex aliis Cardinalibus defunctis, videlicet Anno Domini M.CCC.LXXXIII. die XXIII. menſis Decembris ſeptem Preſbyteros Cardinales creando, qui fuere, Dominus Petrus de Croſo Ordinis ſancti Benedicti Monachus Dioceſis Lemouicenſis tunc Archiepiſcopus Arela-

tensis, & Camerarius suus, Dominus Faidictus de Agrifolio Diœcesis Lemouicensis tunc Episcopus Auenionensis, Dominus Petrus Ayssclini de Monteacuto Ordinis sancti Benedicti diœcesis Claromontensis tunc Episcopus Laudunensis, Dominus Vvalterus de Vvardelansocins, tunc Episcopus Glastuensis : Dominus Aymericus de Masuus tunc Episcopus Tutellensis, Dominus Iacobus de Mentonay diœcesis Gebennensis tunc Archidiaconus in Ecclesia Remensi & Cubicularius suus. Duos etiam Diaconos ordinauit, videlicet Dominos Amedeum de Saluciis Pedemontanum, tunc electum Valentinum nepotem vel consanguineum suum præpositū, & prædictum Magistrum de Fitiniaco licèt grandęuum totum, tamen aliàs virtuosum. Cuius promotio sicut Deo & Ecclesiæ seruire & fauere volentibus fuit placabilis, & ad idem allectiua : sic præfati Ioannis de Maresiis punitio contrariis imitantibus eiusque memoriam habentibus esse debuit, & debet terribilis, & ab eisdem repressiua. Insuper adueniente tempore Paschali instantia Regis Franciæ, & Ducis Bituricensis prænomina-

tus præfatus Clemens Papa, promouit Diaconum Cardinalem Dominum Petrum de Lucenborch fratrem Comitis sancti Pauli, tunc Electum Metensem, ætate quidem iuuenem, sed magnis meritis & virtutibus adornatum, prout infra cùm eius obitus narrabitur, pleniùs describetur. Eodem etiam Anno scilicet, M. CCC. LXXXIIII. die XX. mensis Septembris memoratus Dux Andegauensis Ludouicus Regio nomine iam assumpto, qui hactenus diues & abundans plurimùm extitit, satis pauper, & indigens, Amedæo Comite Sabaudiæ prælibato multisque ex suis commilitonibus & armigeris tam inedia quàm gladio iam defunctis, prout Domino placuit, infirmitate prægrauatus, diem clausit extremum in Ciuitate Barensi suæ tunc subdita ditioni, quod quàm lamentabile, quámque damnosum extiterit sibi adhærentibus quos iam multos vltra secum ductos in dicto Regno hærebat tam amore quàm vi sibi confœderatos, & attractos, iudicet, qui cogitat, percusso capite cætera membra pati. Successit autem sibi tàm nomine quàm ea parte quam in dicto Regno obtinebat Ludouicus filius

suus primogenitus vix septennis qui sub regimine matris suæ habuit diutius permanere saltim donec & quousque ad annos attingeret pubertatis. Interim verò per dictæ matris prouidentiam cum assistentia & iuuamine dicti Clementis Papæ patriam Prouinciæ, quæ patri rebellis & inobediens extiterat, ad ipsius dominium est reducta, ea etiam quæ per dictum patrem suum in dicto Regno tenebantur, non minùs, immò & ampliùs in aliqua parte prosperata sunt quàm ipso viuente. Quo etiam adhuc existente in eo Regno contigit vnum mirabile & stupendum; Dei tamen iudicio, vt opinor ordinatum, videlicet; quod dicto B. intruso Neapolim accedente, orta fuit discordia inter eum & præfatum Carolum, iam vt supra tactum est, per eum de facto in Regem sublimatum. Cúmq; nondum accessa Ciuitate ad inuicem conuenerunt, inter eos adeò creuit discordia, quòd idem Carolus ipsum ibidem arrestauit, aut veriùs captiuauit, & ne vlteriùs procederet impediuit. Sed aliquibus se interponentibus, dictóque B. offensam suam ad tempus aliquod dissimulando, pertranseundo liberatus fuit, &

demum intrauit. Sed ibidem eo existente cogitauit hoc sibi non fore tutum, & idcirco post moram ibi aliquanto tempore factam, ab inde exiens venit Nuceriam, vbi quæ conciperet deducere disposuit ad effectum. Sed hoc ad notitiam dicti Caroli perducto, ad eius obsidionẽ viriliter se accinxit, locúmque prædictum fortiter & diutius expugnauit. Sed tandem per duos nobiles Dominos de sancto Seuerino, & nonnullos alios tunc fautores dicti B. in manu potenti ad sui auxilium, & iuuamen superuenientes, dicta obsidio leuata extitit, & ipse liberatus. Qui demum ab inde recedens quosdam de suis Anticardinalibus, quos de præmissis contra ipsum attentatis conscios, & culpabiles æstimauit, priùs depositos, vinculatos enormiter secum duxit, de quibus quid egerit, & in quem locum ipse ab inde declinauerit, infra suo loco describetur. Anno autem Domini M. CCC. LXXXV. circa vernale tempus Carolus Rex Franciæ recepit in coniugem Isabellam filiam Stephani Ducis Bauariæ. Eodem etiam tempore obiit Ludouicus Rex Hungariæ duabus filiabus superstitibus; quarum primogenita sibi

in Regno Hungariæ ſuccedens, nupſit Sigiſmundo Marchioni Brandeburgenſi fratri Regis Boemiæ: ſecundá quæ in Regnis Poloniæ, & Cracouiæ ſibi ſuccedebat, eo iam viuente contraxerat cum Guillelmo primogenito Leopoldi Ducis Auſtriæ, & ſecum, vt dicebatur, nubilis exiſtens cohabitauerat per aliquod tempus. Poſt verò eiuſdem Regis obitum ipſam de facto recepit Ladiſlaus Dux Lotobbiæ adhuc paganus exiſtens, licèt ſe demum conuerterit ad fidem Chriſtianam. Anno prædicto M. CCC. LXXXV. die XII. menſis Iulij, aliquibus Cardinalibus nouiter defunctis præfatus Clemens nouam fecit creationem, videlicet ſeptem Cardinalium Preſbyterorum qui fuerunt, Dominus Bertrandus de Canhaco dioceſis Lemouicenſis tunc Patriarcha Hieroſolymitanus, Dominus Thomas de Amantis Italicus, tunc Archiepiſcopus Neapolitanus, & Referendarius Papæ, Dominus Ioannes de Placentinis Lombardus, tunc Epiſcopus Caſtellanenſis aliàs Verietanus, Dominus Amelius de Laicerlees Canonicus Regularis Ordinis ſancti Auguſtini, de Albigeſio, tunc Epiſcopus Conuena-

rum, & etiam Papæ Referendarius, Dominus Ioannes de Muntellio Diœcesis Claromontensis tunc Episcopus Gebennensis, familiaris Papæ, Dominus Petrus de Tureyo Burgundus, tunc Episcopus Malleacensis, & Dominus Ioannes Banihiaco diœcesis Gebennensis, tunc Episcopus Viuariensis, & Cubicularius ipsius Papæ. Per idem tempus occupabat Regnum Portugalliæ quidam Ioannes Magister Militiæ dicti Dauidi asserens se fuisse fratrem Regis vltimi mortui, cuius filiam, ad quam Regnum huiusmodi pertinere dicebatur, habebat in coniugem Ioannes Rex Castellæ memoratus. Cuius occasione guerra fuit mota, ortáque discordia inter prædictos Regem, & Magistrum, & mense Augusti anni prædicti, die videlicet XIV. prælium cōfertum est, in quo, prout Domino, placuit idem Rex extitit victus; fuerúntque mortui quamplures milites armigeri, tam de sibi subditis, quàm illis qui in sui succursum aduenerant de partibus Gallicanis. Anno Domini M.CCC.LXXXVI. die prima Ianuarij Sol circa horam tertiam, licèt per prius àb aurora diei & post eius ortum aër satis claruisset, & ipse more solito splen-

duisset, eclipsatus est, & in tantum aër obfuscatus&obtenebratus, sicut in noctis crepusculo comuniter esse consueuit, & adeò quòd in carreriis aut aliàs sub diuo existentes legere, aut diuersitatẽ personarũ, vel monetarũ discernere difficiliter potuissent. Eodem occurrente tẽpore B. intrusus recedẽs de Apulia nauigando peruenit Ianuam, cum pluribus ex Anticardinalibus suis, ex quorũ sex de illis quos vt supra tactum est, tanquam conscios & culpabiles super attentatis contra ipsum per Carolum de Duratio memoratum, vinculauerat, vt aliqui dixerunt, in mari submergendo, alij quòd in terra viuos sepeliendo, & aliqui quòd plantatos in terra vsque ad mentonem capite truncatos fecit immaniter trucidari, eis reddens pro suis obsequiis, scilicet, quòd Diabolus, cuius ministri erant, suis seruitoribus reddere consueuit. Per idem etiam tempus præfatus Carolus adiit Regnũ Hungariæ, sperans ibi fautores, & amicos habere, per quorum ministerium & iuuamen, Regnum ipsum tanquam propinquior Regi mortuo per lineam masculinam ius se prætendebat habere, acquirere posset, & illud Siciliæ, cuius nomen licèt falsò gestabat, cum eius pertinentiis

defensare. Sed suis fraudatis desideriis non amicos, sed inimicos ibi reperit, per quos extitit crudeliter interemptus iusto Dei iudicio, pœnam cōdignam recipiens pro commisso scelere, & nece Ioannæ Reginæ memoratæ, quæ domina sua naturalis erat, fuerátque sibi continuè plusquam mater, ipsum à cunabulis in propria nutriendo, fouendo, & exaltando, à morte, cui aliquando adiudicatus extiterat, præseruando, quorum omnium nō recordatus, eius vitam odiuit, statum concupiuit, & mortem ordinauit, cuius sanguis de terra clamauit ad Dominum, donec prędictam perpessus est vltionem. Fuit etiam tempore prædicto suscitata guerra, & mota discordia inter memoratum Leopoldum Ducem Austriæ, & populares & incolas locorum Imperialium adiacentium terris suis, quæ adeo incaluit, quòd ipse de viribus suis nimiùm confidens, eosque spernens, & non cogitans dubium belli euentum, in propria ipsos disposuit debellare. Ipsi verò sibi viriliter occurrentes, cùm essent numero plures, & armis fortiores, ipsum interfecerunt, cum maiori parte suorum Lotharingiæ & Barrensi, ac aliquibus

aliis Comitibus dominiſque temporalibus, Ciuitatibus, & locis, eorumdémque territoriis, ac dominiis, circumadiacentibus dumtaxat exceptis, propter quod memoratus Dominus Guillelmus de Agrifolio Preſbyter Cardinalis, ad partes illas per dictum Clementem Legatus deſtinatus circa ipſorum reductionem nihil proficere potuit, niſi dumtaxat quòd duces prænominatos cum ſubſequentibus de iuſtitia Clementis informauit, & ad ipſum deduxit, & in bono propoſito confirmauit, licèt tandem continuè petens ſibi dari audientiam fuit diutius in Alamanniæ terris, videlicet Leopoldi Ducis Auſtriæ iunioris, qui in propria dicto Clementi fauit, & adhæſit, & faueri voluit, in locis, & in terris ſuis, non tamen omnibus, nec ſe cum aliis parti aduerſæ fauentibus imbricauit. Carolus inſuper Rex Francorum, &c. Iſtis etiam pendentibus Galeacius de Vicecomitibus Mediolani Comes Virtutum captiuauit Barnabonem patruum improuiſum nec de hoc cogitantem, ipſumque carceribus mancipauit, in quibus demum ſatis citò mortuus eſt. Cuius filiis omnibus aut ſtrictè detentis, aut exilio damnatis in

Hæc ſupra eiſdem verbis dicitur.

egestate, & miseria per mundum hinc inde vagantes, loca, ciuitates, & dominia vnà cum cæteris bonis omnibus, quæ ad ipsum dum liber erat & viueret, pertinebant, idem Comes occupauit, nec fuit qui in his quoquo modo suæ resisteret voluntati. In quo quantum in potestate & diuitijs confidendum existat, notent, & considerent ipsi principaliter abundantes, cùm ipse inter cæteros huius mundi in his vnus foret de maioribus, & tamen prædictus omnia perdidit vna die. Prædictis autem peractis dictus Comes suis certis tractantibus amicis, datisque magnis pecuniis, & aliquibus locis & dominiis assignatis filiam suam quam habebat, in coniugem tradidit Ludouico Duci Turonensi, postea Duci Aurelianensi, fratri germano Regis Franciæ memorati, cui erat secundo gradu consanguinitatis coniuncta, cùm eius mater soror fuerit patris sui, fuitque pro hoc dispensatum per Clementem Papam memoratum, sed vtrum etiam per B. intrusum dubito, cùm ipse Comes ad partem suam satis patenter tunc existeret inclinatus. Quo etiam tempore ipso B. intruso adhuc Ianuæ permanente, duo ex suis An-

ticardinalibus Italicis natione ab ipſo diuertentes,ſe ad dictum Clementem conuerterunt, videlicet, Pilleus de Prato, qui longo tempore ante dictum ſchiſma Archiepiſcopus Rauennatenſis extiterat,& Dominus Galeotus de Petramala, quorum primum dictus Clemens in preſbyterum, ſecundum verò in Diaconum Cardinales aſſumpſit, eis nouiter dans verum ſtatum, quem ante vſurpatiuè tenuerat cum dicto intruſo perſiſtẽtes, miſitque eis Capellos rubeos, quos ipſe vice ſua tradi mandauit per Dominum Petrum Girardi Epiſcopum Anicienſem Nuntium ſuum in terris & locis ad quæ confugerat, à dicto intruſo recedentes. Verumtamen de primi reductione non eſt mentio facienda, cùm illuſoria fuerit atque ficta, prout infra demonſtrabitur ſuo loco: alius autem manſit & vixit laudabiliter firmus & ſtabilis in fide aſſumpta permanendo. Anno Domini M.CCC. LXXXVII. die quinta menſis Iulij obiit memoratus Dominus Petrus de Lucemburch ſancti Gregorij ad velum aureum Diaconus Cardinalis, ſuæ ætatis XVIII. annis nondum completis, qui ab infantia continuè dilexit & timuit Deum, & ad

eum & proximum charitatem habuit, iustitiam & æquitatem tenuit, virginitatem & munditiam seruauit, in humilitate permansit, in omni morum honestate perseueranter vixit, & tandem sanctissimè terminauit. Eius autem vita licèt fuerit admodum laudabilis, immo & mors subsequuta eius ingentia merita per amplius demonstrauit. A die enim qua corpus suum sepultum fuit in cœmiterio comuni pauperum, in quo præ nimia humilitate viuens suam elegerat sepulturam, magnis & stupendis miraculis clarescere cœpit. Eius namque tumulum visitantes aut pro suis langoribus, & necessitatibus suis patrocinium implorantes, confestim remedia inuenerunt opportuna, & experti sunt, nedum liberati à febribus, & ab aliis infirmitatibus quæ comuniter accidere solēt, sed etiam, quod maius est, plurimi mortui ad vitam sunt restituti: quæ adeo continuata referuntur, quòd fere vbique infra paucum tempus diuulgata fuere; propter quod etiam de diuersis longinquis, seu remotis partibus venerunt quamplurimi ad suum dictum tumulum, qui per priùs magnis grauati langoribus, eius meritis & inter-

cessionibus sani & incolumes ad propria redierunt, prout hi omnes qui eius ope adiuti seu sani facti sunt, quiue priùs languidos aut malè se habentes ac demum conualuisse viderant, attestati sunt, & vota innumerabilia super eis reddita indicant manifestè. Inter quos etiam extiterunt non pauci qui quamquam forent schismatici, ac dicto B. intruso adhærentes, videntes tot prodigia, & signa, quæ Deus eum inuocantibus suis intercessionibus continuè faciebat, eius compulsi sunt confiteri sanctitatem, nec vlteriùs suum statum seu titulum, quem sciebant ipsum à dicto Clemente recepisse tamquam inhibitum ausi sunt quomodolibet impugnare. Fuitque præterea status dicti Clementis iustior & solidior multimodè reputatus, per quem plures æstimantes, & à certo tenentes, quòd ipse qui iam spiritu Dei plenus fuisse secretorum cœlestium in quantum in eis salus sua tangebatur notitiam sufficientem habuisse creditur, sibi non adhæsisset, nec promotiones suas ab ipso recepisset, nisi ipsum sciuisset iustum habere titulum in Papatu. Qui demum tam pro parte Regis Franciæ quàm plurium Præ-

latorum crebris & multiplicatis supplicationibus propulsatus, & requisitus extitit, vt ad eius canonizationem procedere dignaretur, cùm merita sua hoc exposcerent, dictis miraculis & prodigiis id ipsum indicantibus manifestè. Ipse autem in his maturè procedere volens commisit super præmissis inquiri diligenter, & informationem recipi tam per Prælatos quàm certos Cardinales ad hoc per ipsum deputatos, prout est in talibus fieri consuetum. Interim circa tumulũ suum fuit institutum vnum cœnobium fratrum Celestinorum qui habent ibi in eius commemorationem, & honorem Deo seruire, ordinatis pro ipsis ibidem officiis eis necessariis ad tempus competentibus, & tandem solemniter ædificandis, qui etiam de oblationibus & votis sui cõsideratione obuenientibus pro maiori parte possunt sustentari. Per idem tempus Petrus Rex Arragonum volens super veritate tam electionis dicti Clementis, quàm intrusionis dicti B. pleniùs informari, & præsertim cum Cardinalibus qui talium super omnes mortales notitiam certiorem habebant, misit Auenionem certos Nuntios & Ambaxiatores

ſuos, vtique viros litteratos, prouidos, & diſcretos tam ad dictum Clementem quàm Cardinales memoratos, qui vice ſua ſuper præmiſſis cum eis haberent inquirere diligentius, quemadmodum per priùs Romam miſerat ſimili de cauſa. Dicti autem Nuntij ſingulariter, & ſingillatim dictos Cardinales etiam iuratos interrogauerunt ſuper certis articulis factum intruſionis, & alia continentibus, prout à dicto Rege habuerant in mandatis: & id per omnia fecerunt, de multis aliis viris notabilibus in Curia exiſtentibus qui præſentes extiterant in locis in quibus facta fuere, fuerúntque dicta omnia redacta in ſcriptis etiam ſub manu publica & authentica forma, & ſic per dictos Nuntios ad propria redeuntes dicto Regi reportata. Qui eis receptis, viſis, & diligenter examinatis habitáque multimoda deliberatione cum Regnicolis ſuis tam Eccleſiaſticis quàm mundanis, tandem deliberauit ſe cum eis pro parte dicti Clementis publicè declarare, ſibique obedire, adhærere, & fauere, tanquã vero Papæ; ſícque, vt firmiter creditur, ſatis citò poſt deduxiſſet ad effectum, ſed morte præuentus hoc adimplere nequiuit.

Obiit

Obiit enim die ...... mensis .... anni; cui successit in Regno Ioannes Dux Gerundensis suus filius primogenitus, qui de paterna intentione plenè certificatus, præmissisque informationibus pleniùs recensitis, ac habita deliberatione matura cum suis regnicolis, de eorúmque consilio & assensu ad dictam declarationem faciendam processit, sibi assistente, sicque fieri sollicitè procurante præfato Domino Petro de Luna Diacono Cardinali, qui etiam diutiùs institerat, sed hoc penes patrem suum memoratum, cuius indignationem propter hoc metuens incurrere Dominus Iacobus de Arragonia tunc Episcopus Valentinus suus consanguineus germanus, statum Cardinalatus sibi à diu iam ante datum per dictum Clementem Papam suo tempore recipere retardauit; quem tamen post eius obitum, factáque dicta declaratione per Ioannem filium suum acceptauit, fuitque sibi ad instantiam dicti noui Regis missus Capellus rubeus, & per memoratum Petrum Cardinalem de mandato eiusdem Clementis Papæ traditus, & assignatus. Obiit etiam satis citò Carolus Rex Nauarræ, cui successit in Regno Carolus suus filius

primogenitus. Qui etiam processu temporis opportunitate captata, suam solemniter declarationem fecit pro dicto Clemente Papa, quam pater, licèt ex certis causis distulisset, facere disposuerat, sed morte præuentus non potuit, eam ad dictum filium suum per eum fiendam transmittens, in qua etiam sibi astitit, & efficaciter operatus est memoratus Dominus Petrus de Luna Diaconus Cardinalis. Per idem etiam tempus Ioannes Dux Lenclastriæ intrauit, & inuasit Regnum Castellæ cum magna multitudine armatorum, prætendens Regnum huiusmodi sibi deberi ratione coniugis suæ, quæ filia fuerat Petri quondam Regis eiusdem Regni, qui sine liberis masculinis decesserat, regnumque ipsius secundùm eum indebitè occupatum fuerat per Henricum fratrem suum naturalem, & sic adhuc occupabatur per Ioannem filium suum in dictæ coniugis præiudicium atque damnum. Et licèt idem Dux in dicto Regno quamplurima damna intulerit, tamen non minora ipse perpessus est in gentibus suis, ex quibus multi periere magis inedia ob victualium defectum, quàm propter bellicos insultus. Tandem

verò interponentibus se aliquibus vtriusque partis amicis, fuit inter ipsos pax reformata. In qua principaliter ordinata fuere, primò filia dicti Ducis ex dicta sua coniuge data fuit in vxorem Henrico Infanti & primogenito dicti Ioannis Regis: secundò data fuit Duci præfato vna summa magnæ pecuniæ, ac in promptu soluta pro expensis per ipsum factis ratione præmissorum: tertiò quòd quandiu viueret vxor sua annuatim reciperet in dicto Regno quadraginta millia duplarum seu Francorum: quartò, quòd ex tunc dictus Dux, qui per prius se Regem Castellæ nominabat nomen huiusmodi dimitteret, cederetque iuri sibi aut vxori suæ in dicto Regno competenti. Quibus firmatis & perfectis, idem Dux ad propria remeauit dicto regno in pace & quiete dimisso. Ipse etiam adhuc in eo existens, seu ante dictam pacem dedit aliam filiam suam primogenitam quam habebat ex sua prima coniuge, prænominato Ioanni Militiæ qui se pro Rege Portugalliæ gerebat, & nominabat, cum quo per priùs confœderatus & colligatus extiterat contra Ioannem Regem Castellæ memoratum; sed dicta pace inter-

ueniente, fuit etiam facta treuga ad magnum tempus inter eosdem Castellæ & Portugalliæ Reges, ne occasione discordiæ ipsorum, dicta pax posset quoquomodo violari, seu infringi. Dictis insuper factis discordiis, noua fuit exorta discordia inter Carolum Regem Franciæ, & Ducem Guelriæ, cuius occasione idem Rex cum magno exercitu armatorum ad inuadendum terras dicti Ducis se accinxit, & è contrario idem Dux ad sibi resistendum se disposuit, & parauit, habuítque multos sibi confœderatos, tam de Leodiensibus, quàm de Alamannis, per quorum districtum dictus Rex habebat transitum facere, qui iter suum facienti exercitui suo damna quamplurima intulerunt: antequam tamen hinc vlterius ad grauiora procederent, pro parte dicti Ducis eidem Regi talia & tanta oblata fuere & præsentata, quòd ipse placatus extitit, & de eo contentus ad propria remeauit. Cùm verò peruenit ad Ciuitatem Remensem, ipse qui vsque tunc sub tutoribus & actoribus, hoc est, tutela & gubernatione patruorum suorum permanserat, subitò & absque præmeditatione eorumdem, immò & aliorum pauco-

rum ſui Regni regimen aſſumpſit, volens eos ex tunc tanquam Conſiliarios ſibi aſſiſtere, non autem velut Gubernatores habere, de quibus ipſi & alij quamplures eis aſſiſtentes non bene contenti remanſere, præſertim quòd in officiis & aliis adminiſtrationibus, ex quibus ea gentibus emolumenta quamplurima proueniebant, multa immutata & innouata fuere. Per idem tempus inimico hominum ſatoreque zizaniæ diabolo procurante, orta fuit diſcordia inter Vniuerſitatem Pariſienſem & Ordinem Prædicatorum, cui & eius Suppoſitis multa impoſita ſunt, & tam per ipſam Vniuerſitatem, quàm plures alios ipſis æmulantes. Quorum occaſione in toto fere Regno Franciæ & præſertim in lingua Gallicana, quamplurimi contra ipſos inſurrexerunt, multos ex ipſis captiuando, oblationes & eleemoſynas eis denegando, prædicationes verbi Dei, propoſitiones & confeſſionum auditiones eis inhibendo. Dicta etiam Vniuerſitas à ſe eos totaliter ſegregauit, ad actus ſcholaſticos nullibi faciendos, aut honores & gradus recipiendos, nedum non admiſit, ſed etiam impediuit, in quibus omnibus fautores pau-

cissimos, persecutores plurimos habuerunt, fuerúntque passi damna infinita, nedum in personis, sed etiam in bonis: ac vt de iniuriis, opprobriis, & contumeliis, irrisionibus & detractionibus taceamus, pro tunc facti fuerunt tanquam opprobrium hominum & abiectio plebis: durauitque tempestas huiusmodi per plures annos, nec fuit qui eos adiuuaret, & hoc maximè quia qui eos persequebantur, se Beatæ Virgini existimabant sacrificare, cui dictum Ordinem & eius supposita multimodè iniuriari & detrahere asserebant; in eo quod quasi omnes ipsam asserunt & opinantur in peccato originali conceptam fuisse, quod vtique fore erroneum & damnatum tales astruebant, non obstantibus opinionibus multorum sanctorum, & Doctorum approbatorum contrarium opinantium. Eorum dicta quia quidam Ioannes de Montesono de eodem Ordine nouiter in dicta Vniuersitate recitauit, & vera esse asseruit, requisitúsque pro parte dictæ Vniuersitatis, vt dicta sua huiusmodi tanquam falsa & erronea reuocaret, sciant cuncti quòd reuocare recusauit, ideo per ipsam Vniuersitatem contra ipsum fuit

multimodè processum. *Additio est quæ sequitur*, dubitans ne auctor huius Chronicæ fuerit de dicto Ordine Prædicatorum, in cuius Ordinis fauorem non plene causam dictæ discordiæ expressit. Sciant cuncti quòd veritas sic se habuit, quòd dictus de Montesono ex quadam arrogantia, & ex quadam conclusione facta cum pluribus Magistris, & aliis de dicto Ordine, plures conclusiones tangentes materiam Conceptionis Beatæ Mariæ male sonantes & pias aures offendentes, ponere in scholis, & asserere non formidauit, pluresque de dicto Ordine in diuersis Ciuitatibus Regni Franciæ, in suis sermonibus & aliis actibus illa tūc plura nefanda, turpia & inhonesta de dicta beata Virgine, & eius Conceptione, quæ etiam de aliis mulieribus tanquam abominabilia tacenda forent, ad sui ostentationem seu potius perniciem astruere non erubuerunt: propter quæ dicta Vniuersitas causam Beatæ Mariæ & veritatem supra defendens, contra tales, & dictum Ordinem qui eos sustinebat, viriliter & debitè processit, &c. Hoc autem posui quia eo tunc Parisius præsens eram; & ea in propria cognoui: &

quia dictus Ordo in hoc sibi fauere dicebatur, inde fuit suscitata turbatio supradicta; nec fuit remedium circa sedationem eiusdem, nisi in dictis partibus per dictum Ordinē fieret festum solemniter de dicta Conceptione, quanquam à cætero in sermonibus, collationibus, & disputationibus, inter supposita eiusdem, de materia huiusmodi taceretur, aut ad partem affirmatiuam nullo modo descenderetur. Quibus obseruatis & in facto deductis cessauit dicta seditio, & dictus Ordo quoad persecutiones personales satis in pace remansit, non tamen ad actus scholasticos, & alios consuetos per dictam Vniuersitatem de longo tempore post restitutus. O vtinam materia huiusmodi nusquam peruenisset in concertationem, seu disputationem virorum litteratorum, nec aliorum, aut de ipsa in sermonibus per eos mentio facta fuisset, cùm potius huc vsque multi super ea curiosè ac ad sui ostentationem fuerint loquuti, quàm ad salutem seu profectum animarum. Exinde namque istud & alia scandala quamplurima hactenus orta fuerunt, quæ ex taciturnitate minimè prouenissent, nec eo minus salus ad hoc

non intendentium contigisset, cùm non sit de articulis fidei, vt præfati concertantes, dubia elicientes, vbi non erant, plusq; sapere quàm expediret, in talibus seipsos & simplicium animos multipliciter inuoluerunt, & sic crederem fore tutius, & ad alia necessaria & vtilia intenderent, & hæc & similia euitarent. Anno Domini M. CCC. LXXXIX. memoratus Rex Franciæ venit Auenionem ad dictum Clementem penultima die mensis Octobris, fuitque receptus multùm solemniter, prout decebat, tam per Papam prædictum, quàm totam Curiam suam; venit etiam cum ipso Ludouicus Dux Turonensis frater suus, vnà cum aliis quampluribus notabilibus & magnis viris. Die autem festi Omnium Sanctorum quod illo anno occurrit feria secunda, dictus Clemens coronauit in Regem Siciliæ Ludouicum iuniorem filium alterius Ludouici, qui, vt supra recitatum est, per antea in Apulia expirauerat, præfato Carolo Rege Francorum assistente, qui etiam cum humilitate debita pro tūc fudit aquam manibus Papæ prædicti Missarum solemnia celebrantis. Ob cuius honorem & reuerentiam, suisque preci-

bus inclinatus dictus Clemens Papa die tertia eiusdem, assumpsit in Presbyterum Cardinalem Dominum Ioannem de Talarij tunc Archiepiscopum Lugdunensem nationis eiusdem, virum vtique licèt grandæuum, tamen admodum virtuosum & litteratum, qui etiam pro iuribus Ecclesiæ suæ quamdiu eidem præfuit, multa & magna fuerat operatus. Post hæc dictus Carolus Rex de Auenione recedendo iuit ad partes Tolosanas, in quibus, & circumquaque mansit vsque ad mensem Ianuarij subsequentis, qui autem redeundo ad partes Franciæ, transitum fecit per Auenionem factáque ibi mora satis modica iter suum continuando ab inde discessit. Dum præmissa in partibus Cismontanis agerentur, de mense videlicet Octobris, denotatus B. intrusus qui per prius de Ianua recedendo tam in Luca quàm Perusio moram aliquanto tempore fecerat, multa perniciosa & scandalosa operando, tandemque Romam redierat, totus pertinax, & impœnitens ibi spiritum exhalauit. Cui per suos Anticardinales in suo statu nefario fuit substitutus vnus ex eis, dictus Perinus de Tomassellis de Neapoli

Talaru

oriundus, iuuenis quidem tam ætate quàm moribus, ſatis illiteratus, & ad inſequenda veſtigia dicti B. totus diſpoſitus & paratus, qui licèt falsò Bonifacium IX. ſe fecit nominari. Audita autem intruſione ſua per ſupra nominatum Pileum de Prata qui dicto Clementi Papæ de grege dicti B. ad gremium ſanctæ Matris Eccleſiæ, & ſuum ſe venire & redire finxerat, in Preſbyterum aſſumptus Cardinalem, quique demum in Auenione ſecum manſerat per aliquod tempus; poſt verò ſuffictis & exquiſitis coloribus, & fraudulenter procurauerat, ſe ad partes Italiæ deſtinari, vbi in terris & locis Eccleſiæ eidem Clementi adhærentibus ſimulatè recedit, vſque ad tempus intruſionis memoratæ, ſtatim ad ipſum nouum venit intruſum, & tanquam canis ad vomitum rediens, reiecto ſtatu à dicto Clemente recepto, ſe fecit per ipſum nouiter pileari, demonſtrans qua intentione, quóue ſpiritu à dicto B. recedere & venire ſe finxerat ad dictum Clementem. Sed Deus ſibi ſatis reddidit condigna pro meritis: cùm etenim in parte ad quã ſic vltimò improbè declinauit, ab illa hora homo inconſtans & variabilis, & per-

fidus fuit comuniter æſtimatus, vulgariterque dictus ſeu nominatus Cardinalis de Tricapelli, hoc eſt trium capellorum .i. à tribus capellanis videlicet adhuc extant ſic à quarto, ſic tamen quòd capellus ſibi tradendus de chalibe, ære vel ferro candenti, vt ſic extinguatur eius ambitio, & proteruitas confundatur. Poſtquam verò ad dicti Clementis peruenit notitiam intruſio de dicto Perino modo præmiſſo facta nouiter, ipſe contra eum ſuos inchoauit proceſſus iuridicos, tanquam ſedis Apoſtolicæ inuaſorem ac damnatæ memoriæ dicti Bartholomæi ſcientem, & voluntarium in vitio & crimine ſucceſſorem. Sed quod dolendum extitit, nedum vt alius ipſos contemptui habuit, quinimmo in perfidia & obſtinatione ſibi totaliter pacificari voluit, & æquari ſimilia contra dictum Clementem in omnibus attendendo. Præterea de menſe Iunij, Anno Domini M.CCC.XC. ¶Ludouicus iunior Rex Siciliæ nouiter coronatus iter ſuum arripuit versùs Neapolim nauigando, gentibus armigeris notabiliter comitatus, ac victualibus ſufficienter munitus. Cui vt ſibi circa regimen regni ſui aſſiſteret & in agendis

consuleret, præfatus Clemens Papa tradidit Dominum Petrum de Tureyo, titulo sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem, quem etiam constituit Legatum suum de latere in partibus illis, vt in eis circa reductionem rebellium & infidelium insisteret, & ad ipsum fideles sui recursum haberent. Eodem tempore Carolus iunior Rex Nauarræ, postquam in Regno suo sublimatus extitit, & coronatus, misit ad dictum Clemẽtem Papam suos notabiles Nuntios, qui interea ab sui parte postularunt, petierũt, instanterque supplicarunt, vt Dominum Martinum de Silua suum Cancellarium, & Regnicolam, tunc Episcopum Pampilonensem, assumeret in Presbyterum Cardinalem, qui supplicationibus huiusmodi, velut rationabilibus, & condignis, acquiescens, de vnanimi Cardinalium consensu ipsum ad hoc promouit, & assumpsit die xi. mensis Iulij eiusdem anni, qui etiam hoc idem aliàs facere disposuerat viuente Carolo patre dicti Regis, cùm vnus de notabilioribus Prælatis totius Ecclesiæ, ac inter cæteros Doctores Iuris Canonici vniuersi orbis de maioribus æstimaretur, essétque in vita moribus, & pruden-

tia, ac aliis virtutibus notabiliter commendatus, si ipse tunc in hoc assentire voluisset, sed pro tunc assentire noluit, non alia de causa, nisi quòd continuè insistens circa dictum Regem, vt se pro parte dicti Clementis præcisè & publicè declararet, & hoc se posse plus perficere in statu primo, quàm prædicto verisimiliter æstimabat. Sed demum postquam idem Rex hoc non facto, licèt disposito obiit, & filius eius hoc fecit, ipse promotioni huiusmodi humiliter acquieuit. Eodem etiam tẽpore inualuit pestis & mortalitas in Auenione, & locis circumuicinis, propter quod Clemẽs dictus ab inde discessit, venitq; Bellicadrum diœcesis Arelatensis Castrũ Regis Franciæ pro tunc à dicta peste satis mundum, vbi manendo vocatis ad se aliquibus Cardinalibus tam in Auenione quàm circum circa morantibus, cùm nonnulli ex aliis nouiter obiissent, die XVII. mensis Octobris nouos fecit Presbyteros Cardinales, videlicet, Dominum Ioannem Flandrini diœcesis Viuariensis tunc Archiepiscopum Auxitanensem, & Dominum Petrum Gerandi de Foresio diœcesis Lugdunensis, tunc Episcopum Aniciensem, Cubicularium

ſuum. Obiit etiam eodem menſe Ioannes Rex Caſtellæ ſatis ſubitò, & inopinatè, equitando enim & currendo per vnum campum ad quem cauſa ſpatij iuerat, equus quo habebatur ceſpitans cecidit, & ipſe pariter cum eo, ruptóque collo ibidem expirauit. Cui ſucceſſit in Regno Ioannes ſuus filius primogenitus vix decennis, fuit tamen inter proceres Regni tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, & præſertim Archiepiſcopos Toletanum & Compoſtellanum altercatio magna, ad quem vel quos eius & regni ſui gubernacula pertinerent, cuius occaſione ſecuta ſunt ſcandala multa, & ſpecialiter dicti Archiepiſcopi Toletani detentio, ſeu veriùs captiuatio, quam procurarunt æmuli ſui, volentes ipſum in regimine huiuſmodi ſupplantare. Sed tandem per moderationem certorum Nuntiorum quos dictus Clemens Papa hac de cauſa illuc deſtinauit, fuit liberatus, & in regimine prædicto aliis quibuſdam de hoc etiam concertantibus aggregatis, quo facto ceſſauit altercatio huiuſmodi, manſitque dictus Rex ſub eorum regimine, vſque ad tempora pubertatis ſuæ à patre ſuo præfato præfinito. Præterea cùm

priùs orta fuisset discordia inter Philippum Ducem & Comitem Burgundiæ, & Dominum Guillelmum de Vergeyo Archiepiscopum Bisuntinum, tam super certis iuribus Ecclesiæ Bisuntinensis, quàm aliquibus aliis, durassetque diu, nec bono modo posset sedari, dicto Domino Guillelmo eidem Ecclesiæ præsidente, cùm memoratus Dux ipsum quodam odio personali prosequi videretur, ad eius Ducis instãtiam, quam etiam pro bono pacis, & quod etiã hoc ipse bene merebatur, cùm esset bonus, & valẽs Prælatus & magnus pugil, & defensor notabilis iurium Ecclesiæ suæ reputatus, præfatus Clemens Anno XCI. ipsum assumpsit in Presbyterum Cardinalem. Eodem etiam anno prima mensis Augusti, obiit Gasto Comes Fuxi admodum subito, & inopinatè, credens enim esse sanus & incolumis, disponens se ire ad cœnam pro cœnando, cùm aqua eius funderetur manibus statim mortuus cecidit prostratus, quod fuit ad magnum stuporem terrorémque sibĩ astantium, sed non omnium, cùm eorum aliqui, & sibi magis propinqui, potius intenderunt ad recipiendum bona sua, quàm ad corpus suum condendum,

dendum, in quo discant, & aduertant potentes huius sæculi, quantum in præeminentiis & potentiis, & diuitiis confidendum, & sperandum existat: hic enim licèt inter alios huius mūdi paucos etiam maioris dignitatis aut status in eis ipsum excedentes haberet, ipséque in eis in tantum confisus est, quòd etsi Deum hominem tamen reuereretur quasi nullum, & tamen omnibus in puncto sibi deficientibus sicut nudus egressus est de vtero matris suæ, ita nudus ad tumulum est translatus: notanter dico, nudus quia vt habet relatio publica, postquam compertus est mortuus per suos vestibus propriis exutus, vno pallio solo satis vili coopertus in lecto straminum fuit reclinatus vbi mansit vsque ad noctis tenebras, quibus imminentibus repositus super bigam seu rhedam quæ pari boum trahebatur, paucis ipsum concomitantibus, solisque duobus luminaribus cereis ipsum præeuntibus ad locum Ortesij extitit deportatus. O quàm subita & admiranda mutatio, qui enim mane surgens lecto solemni, cameris amplis dormierat, vespere iacet mortuus in lectulo palearum, quique aulis Regiis stipatus, plurimisque ferculis

ac poculis epulatus extiterat in cœna carens, solúsque reconditur in lectulo bestiarum, & cui priùs affluebant diuitiæ, & delitiæ non deerant, ipsum premunt miseriæ, dum mortis angustiæ subito tumulatur. In Comitatu, autem terris, & dominiis suis, cùm ipse nullos liberos legitimos haberet, sibi successit Mathæus Vicecomes Castriboni nepos suus, ex consanguineo tamen germano. In pecuniis tamen, quas innumeras dicebatur habere, successores varios habuit, fertur enim quod de ipsis qui potuit capere cœpit, vt quemadmodum de diuersis locis congregatæ extiterant, sic inter diuersos dispersæ fuerunt. Eodem fere tempore obiit Amedeus iunior Comes Sabaudiæ, etiam satis inopinatè, toxico sibi vt dicitur propinato, filio suo æquinomo nondum septenni sibi succedente, cuius & terrarum suarum regimen & administrationem iuxta dicti Comitis ordinationem accepit Bona de Borbonio defuncti Comitis mater, quæ demum per aliquos ad hoc anhelantes, vt dicitur, falsè & malitiosè incriminata, & accusata extitit, quòd machinata fuerat, opemque dederat in dicti filij mortem. Cuius oc-

casione in Comitatu huiusmodi fuerunt diſſidia multa, & interfectis aliquibus, qui etiam dicti occaſus rei, & conſcij fuiſſe dicebantur, ad arma deuenerunt quaſi omnes maiores Comitatus eiuſdem, aliquibus dictam Comitiſſam accuſantibus, & de facto detinentibus; aliis verò eam excuſantibus, magiſque dominis vtriuſque partis amicis, diſcordia huiuſmodi hoc modo dicitur ſopita fuiſſe. Videlicet quod Regimen prædictum ad nullum ſuper eo contendentium, ſed ad certos dicti Comitis conſiliarios pertineret: Dicta verò Comitiſſa tanquam immunis & innocens, & de qua horrendum & nefas erat cogitare, quòd tanti facinoris rea, aut culpabilis extitiſſet, liberaretur à detentione prædictorum, viueretque in pace & quiete ſuis, ad prædictam aut aliam adminiſtrationem præter propriam vlterius non vacatura. Quibus extempore deductis, dictus Comes & Comitatus in tranquillitate remanſerunt. Paulò poſt etiam obiit Petrus Comes Gebennenſis frater vnicus dicti Clementis Papæ, qui Papa tam ratione propinquitatis, quàm ex ſubſtitutione paterna, ſibi in Comitatu ſucceſſit cùm nul-

lam prolem haberet, tenuitque dictum Comitatum idem Clemẽs ab inde quandiu vixit, nomineque suo fecit ipsum gubernari. Quo demum decedente cessauit ex toto in domo antiquissima Gebennensi posteritas masculina, cùm nullus ex tunc remanserit masculus ex ea procedens per lineam masculinam, quod aliàs nullo vmquam tempore legitur, aut reperitur contigisse; cùm semper in ea successerint masculi ex eis directè descendentes, sed quia nihil semper stabile aut durabile permanet, in hoc eis tunc deficientibus oportuit vt ipsis succederet Imbertus de Villariis nepos ex sorore dictorum Comitis & Glemẽtis. Eodem etiam Anno M. CCC. XCII. orta fuit discordia inter Carolum Regem Francorum & Ioannem Ducem Britanniæ, disposuitque dictus Rex satis præsumens de suis fortitudine & potentia, ac in ipsis quodammodo glorians, & spem ponens, cum magno armatorum exercitu inuadere & intrare terras Ducis memorati. Cúmque in procinctu intrãdi existeret, in die quadam cum suis commilitonibus equitaret, subitò ipsum inuasit terribilis & vehemens infirmitas quæ eius sensum mu-

tauit, & mentem adeò alienauit, adeóque ipsum oppressit, & grauauit, quòd ipsum oportuit reduci super vehiculum ad Ciuitatem Cenomanensem à qua discesserat paulò ante, fuitque ab inde portatus Parisius, vbi diutius morbo huiusmodi ægrotauit; sed tandem diuina operante gratia bene conualuit, sed non adeo plenè quin aliquibus annis subsequentibus per lucida interualla, etiam pluries eodem anno aliquid senserit, de præmissis, quæ sibi contigisse ab aliquibus referuntur ex fascinationibus, aut maleficiis sibi propinatis vel procuratis per aliquos sibi domesticos iniquitatis filios, & malignitatis alumnos. Cui cùm coëtaneos Regni sui in corporeis viribus, membrorum agilitate, actuumque omnium ad ipsum spectantium strenuitate præcelleret, foretque aliàs ad omne bonum, nedum corpore, sed etiam mente dispositus, suis huiusmodi actibus, prosperisque successibus inuidentes, ipsum sic malignè & iniquè machinati sunt impedire. In quo discant cæteri Reges, Principes, & Præsides, quòd sibi assistentes non habeant, qui suis actibus, suóque statui æmulentur, aut inuideant quouis

modo cùm in talium consortio periculosius sit, quàm inter scorpiones, serpentes, vel aspides habitare: sunt enim aduersùs hos remedia quamplurima, sed contra alios quasi nulla, iuxta illud vulgare dictum, nulla peior pestis quàm familiaris inimicus. Alij verò dixerunt quòd huiusmodi infirmitas naturaliter causari potuerat, attentis ætate, complexione, calore temporis, & imaginationibus, & laboribus diuersis, sibi quotidie per Curiales etiam valde domesticos propinatis. Aduertant insuper iidem Reges & Principes, quòd non in propriis viribus, aut potentiis spem ponant, præsumant, aut glorientur, sed in Deo, qui aliter facientes huius & aliorum exemplo quandoque deprimere, & humiliare visus est, in ipso verò tantùm sperantes multimodè erigere & exaltare consueuit. Postquam autem dictus Rex conualuit anno Domini M. CCC. XCIII. iam inchoato, ipse profectus est ad Ciuitatem Ambianensem; in qua cum ipso suisque Regalibus conuenerunt Ioannes Lencastriæ, & Thomas Clocestriæ Duces de pace & concordia inter eum & Richardum Regem Angliæ eorum nepo-

tem secum tractaturi, & quia per firmam pacem, vel longam treugam de dictorum Regum concordia tunc firma spes dabatur, sperabatur etiam quòd per eius medium dictus Rex Angliæ facilius solito inclinaretur ad partem dicti Clementis Papæ, aut saltem promitteret quod iustitiæ eius, in suique præsentia, in suoque regno diuulgarentur & monstrarentur. Ad hoc tractandum & operandum per dictum Clementem fuit missus ad partes Franciæ, & loca conuentionis prædictorum, Dominus Petrus de Luna Cardinalis supra sæpiùs nominatus. Qui licèt circa hoc diligenter & sollicitè institerit penes Duces Lenclastriæ & Clocestriæ supradictos, aliosque quos in his circa dictum Regem posse proficere sperabatur, tamen in finalibus nihil effectuale valuit obtinere, non obstante quòd treuga satis longa, sub spe longioris, aut bonæ pacis pro tunc firmata extiterit inter Reges prælibatos. Eodem tempore pro sedatione schismatis Clemens Papa & vnione Ecclesiæ obtinenda ordinauit, quòd vbique processiones fierent, orationes ad Deum & sanctos eius deuotè funderentur, & Missæ celebrarentur continuè, &

ſpecialiter illa cuius officium incipit, Saluos fac nos Domine & aggrega nos de nationibus &c. quæ cum aliis ad eam pertinentibus fuit per ipſum tunc propter hoc ordinata. Dedit etiam multas Indulgentias præmiſſa facientibus, vſque ad effectum petitionis huiuſmodi duraturas. Anno inſuper XCIV. die XX. menſis Ianuarij ad inſtantiam & requiſitionem Henrici noui Regis Caſtellæ aſſumpſit in Preſbyterum Cardinalem Dominum Petrum Ferdinandi de Metina Hiſpanum, tunc Epiſcopum Exonienſem, Domino Guinterio ſuperius nominato iam defuncto. Eodem etiam tempore dictus Clemens Papa inchoauit proceſſus, quos etiam ſucceſſiuè continuando multimodè aggrauauit, & reagrauauit, contra quemdam Raimundum Rogerij de Turenia militẽ, nepotem quondam ex fratre Gregorij Papæ XI. prædeceſſoris ſui, & complices ſuos, qui tyrannicè tenens Caſtrum de Baucio prope Auenionem ab inde guerram apertam ſibi & terris ſuis, ac Eccleſiæ faciens, Romanam Curiam, totam patriam Prouinciæ, Comitatum Venayſſini cùm Auenionenſi & circumadiacentibus territo-

riis hostiliter molestabat, inuadebat, & destruebat, loca occupando, personas captiuando, & occidendo, bona victus deprædando & consumendo, aliáque mala quamplurima committendo, nec ab his coërceri aut retrahi poterat, licèt diutius expectatus, & etiam sæpius amicabiliter admonitus & requisitus. Et quamquam dictũ Clementẽ cui in gradu secundo affinitatis iunctus erat, verum esse Papã sciret, & talem eum nominabat; & verbo profiteretur, nihilominus contra eum & Romanam Ecclesiam insurgere, & attentare non expauit, datus in sensum reprobum, & non recordatus quòd ei dicta Ecclesia fecerat bona meritò ei ipso & suis conquerendo poterat dicere id propheticum, Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: fuerat namque nutritus & exaltatus per Ecclesiam cum per ministerium Clementis Papæ sexti cuius ipse pronepos extiterat, domus eius paterna, quæ in eius promotionis principio in terra, hoc est in simplicitate & paupertate iacens ab inde erecta extitit, & plurimùm eleuata, magnificata, & exaltata, tam in diuitiis, & redditibus quàm honoribus & dignitatibus, ac etiam

confœderationibus magnatum, & aliorum nobilium plurimorum, ad quas si ipse ex ea prodiens ipsaque sciens debitum habuisset aspectum, non ita insanire præsumpsisset. Sed ipse tanquam ingratus filius beneficij accepti immemor, partusque viperarum matrem nascendo morsibus lacerantium imitatus sæuitiam, eandem Ecclesiam suam vtique plusquàm matrem tam crudeliter, tamque terribiliter in sui personam poscidit ausu temerario non est veritus impugnare, quem etsi pro interesse proprio, vt falsò contingebat, fortasse haberet exosum, tamen ob dictæ matris reuerentiam à talibus abstinere debuit, præsertim cùm eam sic angustiatã & afflictam occasione schismatis memorati tunc videret. Opinor tamen quòd hoc Deus sic fieri & esse permisit, vt cunctis euidenter demonstraret, sibi non esse gratum, quòd viri Ecclesiastici, & præsertim Summi Pontifices qui debent esse cæteris in exemplum, de bonis Ecclesiæ ditent, & magnificent suos consanguineos, & parentes, quamquam enim exemplo beati Augustini ipsis indigentibus sic subueniendum sit, quòd nimis non egeant, non ta-

men quod ex talibus abundent, aut denuo exaltentur, cùm in hoc neceſſitas attendenda ſit, non voluptas. Experientia etiam ſæpe nos docuit, quòd hoc modo ſublimati non diutius ſubſiſtere ſolent, ſiue quòd ad inſtar iſtius malis actibus ſe implicantes, taliter acquiſitis debitè vti, & viuere neſciunt; ſiue quia iuſto Dei iudicio ſoboles eis deficiunt, aut debitis vel aliis omnibus eos opprimentibus ea coguntur alienare, vel vendere, vt ſic vno modo, vel alio ad manus deueniant alienas, ipſis quandoque nudatis, manentibus etiam illis quæ antiquitus eorum obtinuere parentes: ad quæ vtinam bene aduerterent ſuos propinquos plus debito diligentes, in eorúmque fauorem talia operantes, qui ſi oculos linceos haberent, ſatis perſpicere poſſent, quòd ea quæ ante eos in talibus acta ſunt, nihil vel modicum valuerũt, ac ſicut ſubitò venerũt ſic ſubito abierũt. Sed ſunt eorũ quãplurimi qui oculos luteos habentes, dum per eorũ promotiones vident ſibi arridere fortunam, mentaliter ſic excœcantur, quòd credunt ſibi licere, quæ aliis non licuerunt, ac durare quæ aliis defecerunt, ad inſtar enim illorum qui turrem Baby-

lonicam cuius summitas cœlum attingeret, ædificare tentauerunt, suas hæreditates & patrimonia acquirere meditantur, quorum celsitudo, & prosperitas aut cœlos attingat, aut ipsorum durationem excedat. Sed sicut hi perfecto opere confusi remanserunt, ita & ipsi in suis huiusmodi voluptatibus continuè deficiunt & quos sic erigunt ad instar pristinorum, ad nihilum in momento rediguntur. Occasione autem turbationum huiusmodi præfatus Clemens pro maiori parte temporis quo Ecclesiæ præfuit extitit impeditus, sic quòd prouidere non potuit ad ea quæ pertinebant ad sedationem dicti Schismatis, prout expediebat, & volebat, quòd fere omnia quæ vndecumque & quocumque congregare poterat pro defensione sua aduersùs dictum Tyrannum consumebat; sicque demum vltra sustentationem suam non restabant sibi, quæ sufficerent ad præmissa. His præterea sic se habentibus schisma prædictum ex sua antiquatione indurabatur, quod in displicentiam & turbationem non modicam veniebat omnium populorum, præsertim quod vt communiter apparebat, circa eius extirpationem con-

ueniebat, non conuenienter intendebat. Propter quod moti præsidentes studij Vniuersitatis Parisiensis deliberatione inter se præhabita, per suas litteras præfatum Clementem incitantes reuerenter tamen eum requisierunt, vt ad hoc fortius & feruentius solito, vacare, & intendere vellet. Aperueruntque vias quæ ad hoc eis videbantur accommodæ, & opportunæ, eum exhortantes vt ipsarum alteram quæ sibi videretur vtilior eligere vellet, eamque sic & taliter persequi, quòd per ipsam dicti schismatis terminatio breuiter sequeretur. Huiusmodi autem incitationi, & exhortationi fauebant & cooperabantur Rex Francorum cum suis Regalibus, & multi Prælati Regni sui, qui votis suis sibi ad inuicem comunicatis satis recordabantur, quòd inter vias prædictas motas, & tactas, erat illa breuior & conuenientior toti mundo, quod tam dictus Clemens, quàm secum super Papatu contendens, pariter cederent iuri, quod ipsorum quilibet in eo prætendebat habere, & eis vnus tertius subrogaretur in eodem. Ad quam amplexandam & recipiendam, vbi aliæ non proficerent, aut locum habere

possent, vt inclinarentur dictum Clementem, dictarum litterarum series eas scribentium ipsisque assistentium affectus humiliter inducebant, ratiocinantes multimodè quòd pro tot & tantis bonis quot & quanta ex vnione Ecclesiæ & similibus malis quæ ex eius diuisione sequebantur, & erant verisimiliter sequutura, aliis tamen remediis deficientibus, etiam si ipse aliàs pacificè in sede Apostolica præsideret, hoc facere debebat, & tenebatur. Et hæc eadem censuerunt esse persuadenda aduersario suo per sibi obedientes, & fauentes. Verumtamen quia hæc erant magni ponderis, egebantque matura & longa deliberatione, pro tunc absque alia præcisa determinatione, seu conclusione in statu primæuo remanserunt, Papam tamen in magna meditatione constituerunt. Cuius obitus satis citò post fuit subsequutus. Tempore huius summi Pontificis fuit nouiter dedicatum, & fundatum Cœnobium Monachorum sancti Martialis Aueniomensis, pro quorum sustentatione ipse multos redditus spectantes ad Ordinem Cluniacensem, sub quo ipsos militare voluit, deputauit, & vt ad eorum regimen

intenderetur per Abbatem Cluniacensem seu deputandum per eum, absque eo quòd ibidem alius Abbas vel Prior profiteretur, ordinauit. Ipse à Deo multa habere meruit, tam naturalia, quàm gratuita dona: fuit enim statura magnus, decorus facie, & sonorus in voce: scripsit mirabiliter, dictauit notabiliter, & cantauit, seu celebrauit diuina officia multùm eleganter: fuit insuper prouidus in consiliis, sapiens in dubiis, & patiens in aduersis; non elatus in prosperis, nec iratus in iniuriis, aut commotus conuitiis; tam in conuiuiis quàm aliis locis cùm esset affabilis, gratus solatiis cunctis loquebatur: egenis, orphanis, & viduis libenter subuenit, & dedicatis studiis prouidit frequenter: tamen contra ritum & consuetudinem suorum prædecessorum, consistoria & concilia tenuit satis rarò, & hora tardiori: fuit etiam valde morosus, & longus in negotiis suis in conuentibus expediendis. Multis etiam sæcularibus tam Principibus quàm aliis fuit admodum familiaris & gratus, eorúmque contemplatione & amore plures Episcopauit, & alios promouit, eis aliquando sufficientiores, & idoneiores, ætate

moribus, & scientia post ponendo. Cúmque vt eorum beneuolentiam & fauorem, sibi & Ecclesiæ acquireret, quandóque vt ipsorum odium & indignationem euitaret: in quibus se profuisse reperiit, & sæpius defecisse; cùm ex eis plurimi inuenti fuerint, qui de ipso, aut factis suis, modicum curauerunt, postquam illa quæ voluerant fuerant assecuti. Tandem verò prout Domino placuit post satis breuem infirmitatem die XVI. mensis Septembris Anno Domini M.CCC.XCIV. Pontificatus sui XVI. diem clausit extremum in Auenione: cui successit in Papatu Petrus de Luna Cardinalis, qui Benedictus XIII. fuit vocatus. Fuitque in Ecclesia maiori sepultus, & vacauit sedes XII. diebus, Ecclesia adhuc in schismate remanente.

FINIS.




FRANCISCI BOSQVETI NARBONENSIS IVRISCONSVLTI

Ad Historiam Romanorum Pontificum qui in Gallia sederunt.

NOTÆ HISTORICÆ.

Ad Clementis V. Vitam.



Agina 9. Clementi Patrem alij dant Beraldum, alij Bertrandum, alterum ipsius, alterum fratris nomen, malè ipse à *Ioann. Villan. lib.* 8. *cap.* 81. Raymundus dicitur, rectè Bertrandus de Goth, filius Berardi de Goth, in Vico de Villandrau, non, Mihandrau, diœcesis Burdegalensis cuius in conspectu trans fluuium Cyrionem est in diœcesi Vasatensi Vsesta, in cuius Ecclesia ipse sepultus, vnde à depopularibus vulgò Papa Vsestæ vocatur.

Ibid. Quercet. habet MS. decretum electionis Clement. V. cui inscriptum est nomen omnium

Cardinalium & ſubſcriptum aliquorũ ſuffragium. Actum Peruſij Nonis Iunij: iuncta eſt Epiſtola relata à Papir. Maſſon. Peruſ. 6. Idus Iunij, in ea MS. epiſtol. Nuntij Cardinaliũ vocantur Petrus de Montechiello, & Andreas de Eugubio.

Pag. 10. Ciacon. Prid. Idus Nouembris. Panuin. 3. Idus Nouemb. Ioann. Villan. XI. Nouemb. die S. Martini. Maſſon. XVI. Calend. Decemb. Clementem coronatum dicunt.

Eadem & ſeq. Mathæus Vveſtmonaſterien. in florib. Hiſtor. ad ann. M. CCC. V. die domin'co hanc Cardinalium creationem factam ſcribit. congruentius alij, & ſecundùm conſuetudinem R. E. Sabbato. 1. Petrus de Capella, Petrus de Arablaio Cancellarius Franciæ, *Robert.* in Archiepiſcop. Toloſan. caue ne confundatur cum Petro creato à Ioan. XXI. rectè à *Quercet.* Dominus Caſtellæ in diœceſ. Lemouicenſ. vbi etiam obiit. 2. Berengarius Fredoli, ſeu aliàs Stedelli, alius eiuſdem nominis creatus infra an. M. CCC. XII. an vnus & idem, cui Bonifac. VIII. recenſendum commiſit librum VI. Decretal. 3. Arnaldus, Amalarico Auger. Bitter. Arnoldus de ſancto Lupo. Clementis propinquus Ciac. VI. Stephanus malè à Ciac. Archidiacon. Bituricen. rectè Burgenſis in Eccleſia Morinenſi Quercet. præſens dicitur in appellatione Concilij Pariſienſis contra Bonifac. VIII. 8. Arnaldus de Pelagrua, ad aliam creationem refert Quercet. ex Bernardo ſuo ab hoc noſtro diuerſo, cumque vnum eundemque exiſtimat cum Arnaldo de Felgueriis, alia creatione à Clemente electo: certe hi tres Arnaldi, de Cantalupo, de Pelagrua, de Felgueriis, non ita clarè à ſcriptori-

bus distincti sunt. Ioann. Villan. lib. 9. c. 41. nominatim distinguit Arnaldum Vasconiæ Cardinalem, ab Arnaldo de Pelagrua Cardinal. Legato in Italia 10. Petrum Arnaldi Ciacon. ait excessisse an. M. CCC. XXII. contra fidem nostri autoris.

Pag 11. Alberto Imp. occiso, eludendi Philippi Francorum R. gratia, arte Cardinalis Pratensis, Clemente hortante, Henricus Comes Luceburgensis electus est Imperator, à quo mense Aprili, a. M. CCC. IX. Auenionem missi Legati, Comes Sabaudiæ, & Guido Namurcẽsis, ad confirmationem petendam, *Ioann. Villan. lib.* 8. *cap.* 100. *&* 102.

Pag. 12. Anno M. CCC. III. in publicis Parisiensibus Comitiis Bonifacius VIII. multorum criminum, & hæreseon nomine delatus est: à Guillelmo de Nogaret apud Benedictum XI. Perusij accusatio instaurata, non audita: quare ille Clementi supplicationem 37. capitum offert, & instante Philippo, contra Bonifacij memoriam iudicium dictatur: ad id destinati primæ accusationis auctores, Guillelm. de Nogaret, & Guillelm. de Plessiano, vt patet ex actis inter Clem. V. & Philipp. Pulch. at hortante Clemente V. Philippus ab hac accusatione destitit, literæ Clem. leguntur in Chronic. Victoria. atque vt habet continuator Martini Poloni MS. *Anno* M. CCC. XI. *quinto Calend. Maij Auenione in publico Consistorio Philippum excusauerat Clemens, fuitque renunciatum accusationi per viam pacis, Papa verò suscepit negotium examinandum & terminandum: insuper præsens & petens Guillelmus de Nogareto absolutus.* quare nullo stante accusatore absolutus Bonif. in Conc. Vienn. 3. sess. a. M. CCC. XII.

Ead. pag. iam ante suum Pontificatum, multorum criminum reos Templarios publicam famam fecisse, testatur Clemens V. epistola de eorum damnatione, quare vnà cum Philippo Francorum R. de illis condemnandis consilium init Pictauij, ideóque à Philippo vna eademque die comprehendi Templarios iussum, eiusdemque rei causa missi ad vicinos Principes Legati, qui idem ab ipsis expostularent; audiuntur autem capti à Clemente, & in eorum vitam inquisitio diuersis Episcopis committitur. Pontificatus á. 3. Quam obrem Variæ Synodi à Metropolitanis coactæ, atque ab aliquibus innocentes Templarij pronuntiati sunt, vt in Synod. Rauennat. an. M. CCC. X. apud Rub. lib. 6. Histor. Rau. & Moguntina apud Serrar. at in Parisiensi à Philippo Senonensi congregata; damnati sunt, & eorum Magister Iacobus de Mola, & frater Delphini Viennensis, & Hugo de Peraldo, vna cum aliis combusti sunt. V. Ioa. Villan. lib. 8. cap. 92.

Pag. 15. Ciaconius Arnaldum Gallum Archiepiscopum Aquensem refert hac creatione Electum Cardinalem: at inter Aquenses non numeratur, quemadmodum nec Guillelmus de Mandagoto, qui Archiepiscopus Ebredunensis fuit, ex Archidiacono Nemausensi, in quo sacerdotio constitutus libros de electionibus, & Dictamina, siue de arte dictatoria scripsit, quos MSS. legi. 4. Arnaldus à Ciacono, de Auxiliis, à Roberto *d'Aux*, nobilis Vasco diœcesis Condomensis. 5. Guillelmus Petri de Godiuo Baiocensis diœcesis, de quo infra. 6. Frater Vitalis Vasatensis origine, non dignitate, seu Episcopatu, vlt. Pe-

trus Abbas sancti Seueri in Vasconia.

Pag.16. Ioannes Villan. lib. 9. cap. 58. Clementem ait obiisse anno M. CCC. XIV. die XX. Aprilis cui congruit eius Epitaphium

Hic iacet fœlic. Recordat. Dom. Clemens Papa V. fundator Ecclesiarum Collegiatarum de Vzesta & de Villandraudo, qui obiit apud Rupem Mauram Nemausensis diœcesis die 20. April. Pont. sui, an. 9. portatus verò ad istam Ecclesiam B. Mariæ de Vzesta A. D. M. CCC. XIV. 27. *die Augusti tunc proxima.*

Pag.17. cùm de Pontificis Clementi substituendi electione ageretur, orta grauis est dissensio inter Aquitanos, Italos & Gallos Cardinales, singulis nationis suæ Papam optantibus. Illis ignis in vicinas Conclaui ædes immissus, exeundi causam dedit: at vbi Lugdunum arte Philippi Ludouici R. fratris in vnum coiuere, Iacobum Cardinalem, in quem compromissum fuerat, existimantibus Aquitanis eum vel Cardinalem Bitterrensem, vel Pelagruam electurum, consilio Pratensis Cardin. seipsum elegisse refert *Ioan. Villan. lib. 9. cap. 79.*

AD IOANN. XXI.

PAg. 18. Iacobum de Ossa, vel Eusa, vel Osa, sutoris Cadurcensis filium, Archiepiscopi Arelatensis Petri de Ferraria (qui deest in indice Arelat. nisi corrigatur num. 65. L. de Ferreriis) Caroli 2. Neapolitani R. Cancellarij beneficio instructum, & Episcopatu Foroiulien. donatum

& Scholaribus Bononienſibus miſſa, quæ vice prooëmij Clementinis præfixa eſt, data eſt Auenione 7. Cal. Nouemb. Pontif. ann. 2.

Pag. 24. Ordo Grandimontis in diœceſi Lemouicenſi à Stephano Mureto inſtitutus circa a. M. LXXVI. ſub Prioris regimine fuit ab ipſo exordio, de cuius erga ſubditos tam Laicos, quàm Clericos monachos poteſtate, nos ad Innocent. III. lib. 14 ſcripſimus. Primus eius Abbas Guillelmus Pellicerij ex Correctore domus, apud Claud. Robert. malè Ciacon. & ex eo Bzou. in Abbatias diuiſum ait, cùm tantùm 39. Prioratus inſtituti.

Pag. 25. diploma erectionis Caſſinenſis Epiſcopatus datum Auenione 6. Non. Maij Pontificat. an. VI. in priſtinum ſtatum ab Vrbano V. reſtitutus eſt.

Ead. pag. Litteræ Canonizationis S. Thomæ, dat. Auenion. XV. Calend. Maij, anno IV. noſter autor, ann. V.

Ead. pag. Reginaldus, ex Epiſcopo Lemouicenſi, Burdegalenſis Archiepiſcopus. Quercet. & Robert. 2. Bertrandus Agerius de Turre: Ciacon. 4. Simon apud Amalar. Auger. an. M. CCC. XXX. creatus Card. at ſi tunc electus Viennenſis, qui eo ſedente Concilium Viennæ celebratum apud Robertũ? 5. Pilusfortis non de Vapiſtagno, vel Capiſtrano, ſed de Rapiſtano *Rabaſteins*. 6. Petrus Textoris de S. Antonino. 7. Rainerius, Papæ propinquus Ciacon.

Pag 26. extant hæ Ioannis Conſtitutiones, *Extrauag. Quorundam. Extrau. Quia nonnũquam dat. Auen*. VII. *Cal. April. an*. VI. *Extrau. Ad conditorem, dat Auenion. 6. Id Decemb. an*. VII. *de verb*.

signif. in quibus Nicolai IV. constitutio constanter dicitur, quæ est c. exiit. in qua tamen cùm Nicolaus plura de suo erga Minores affectu narret, numquam tamen se eius Ordinis fratrem fuisse dicit, qualis fuit Nicolaus IV. eius Ordinis Magister Generalis: superest itaque vt autor illius constitutionis sit Nicolaus III. (vt noster asserit) qui eo amore ex Francisci vaticinio Minores prosequutus est, vt Mathæo Cardinali, illi ordini eum protectorem præficiens, dixerit, *Tibi melius quod habemus damus, tibi cordis nostri desiderium, pupillam oculorum nostrorum*. Apud Vvading.

Pag. 27. Extrauag. cùm inter nonnullos. De verbor. significat. dat. Auenion. 2. Idus Nouemb. anno VII.

Pag. 28. Huius Petri Ioannis hæreseos capita disce ex Nicolao Aymerico, & Bzou. tom. 14. an. M.CCC.XXV. vbi Strinchius vocatur, pro de Serinhano, quod oppidum est prope Bitteras.

Ead. pag. Annibaldus de Ceccano *Aquinatis* diœcesis Ciac. Campanus. Villan. 3. Iacobus Fornerij postea Bened. XI. 4. Raimundus *de Vehens* Quercet. de Muffoiolis diœcesis Ruten. ex Episcopo S. Papuli Quercet. S. Pauli Tricastinensis Ciacon. primus Episcopus S. Flori Raymundus *Vehens de Monsthezer.* Robert. 5. Petrus de Mortuo mari. 6. Petrus de Capis, deest in indice Carnotens. Episc. nisi sit Ioannes de Capis qui à Robert. creatus dicitur à Ioanne Cardin. tit. S. Martini in montibus. Petrus à Ciac. tit. S. Clementis. 7. Petrus Gomesij de Barroso, Toletanus in eius epitaph. & Ciacon. 10. Vbertus, Imbertus de Pontio Papæ propinquus Ciacon. & Ioan. Villan.

cui forte eam ob rem Caturcensis dicitur, lib. 10. cap. 53. at & Montispessuli consanguineos habuit Ioannes inter quos R. de Conchis qui Petrum de Osa fratrem Ioan. erga Vicarium Episcopi Magalonensis ad sedandam litem mediatorem habuit, ex Archiuis Montispess. an. M. CCC. XVII.

Pag. 29. Fredericus Austriæ, & Ludouicus Bauariæ Duces discordibus electorum votis electi Imperatores, Ludouicus Aquisgrani, à Treuerensi Archiepiscopo, Fredericus Bonnæ à Coloniensi coronati sunt; at Bauaro victore, vtrique Imperatorium nomen remansit: cùm tamen Bauarus aduersas Pontifici partes foueret, & excommunicatis adhæreret, à Ioanne excomunicatus est, nihilominus à Gibellinis contra Ducem Calabriæ in Italiam euocatus Nuntiis missis mense Ianuario an. M. CCC. XXVI. Italiam ingreditur, Mediolani die 30. Maij an. M. CCC. XXVII. corona ferrea à Guidone Tralato Episcopo Aretino deposito coronatur, eius aduentu commotus populus Romanus, Sciarram de Columna sibi ducem constituit, quinquaginta plebeiorum concilio electo, quatuor ex quaque regione: & vt aliquis proximæ rebellioni prætextus quæreretur, eodem tempore Bauarus Romam euocatur, & Ioannis præsentia missis Nuntiis postulatur. At hic die 20. Octob. an. M. CCC. XXVII. vltimam excomunicationis & depositionis sententiam fert in Bauarum; qui iam orta inter Concilium & populum Roman. dissensione, à Sciarra, & potentioribus Roma receptus, & Senator creatus erat, excedentibus Roma Catholicis Clericis, à schismaticis celebratur, interdicto non obstante. Interea Bauarus Romæ vnà

cum vxore Imper. coronatus, die 18. April. an. M. CCC. XXVIII. Iacobum Caturcensem, Ioannem vocatum deponit. Deinde licèt Iacobus Columna Stephani filius paruo comitatu Romam ingressus, in platea S. Marcelli Romanis audientibus processus Ioan. contra Bauar. die 22. April. publicasset; die 12. Maij seq. Petrus de Corbario à Bauaro Antipapa eligitur, qui & die 15. Maij Anticardinales creat, & Bauarum die 21. coronat. Ioannes contra die 30. eiusdem mens. Aueniоné Bauarum anathematizat. Ille Romanos timens vnà cum Antipapa & Cardinalib. die 4. August. eodem anno Viterbium petit. Bertoldus Vrsinus, Stephanus de Columna eadem nocte Romam veniunt, sequuntur die 8. Aug. Legatus Apostolicus & Neapoleo de Vrsinis, & vrbis status reformatur. Ludouicus autem die 13. Decemb. eodem ann. orante Michaele de Cesena Pisis sententiam depositionis fert in Ioannem: Ioannes verò 4. temporib. Decemb. Ludouicum damnat. *Antipapa* die 3. Ianuar. Pisas venit, die 8. publicè sermonem facit, & die 18. in publicis comitiis vnà cum Ludouico processus in Ioannem innouat, Ludouicus tandem Italia exit mense Decemb. M. CCC. XXIX. Pisani factione Bauari eiecta 4. Augusti an. M. CCC. XXX. & consilio inito cum Comite Facio & Nuntiis Apostolicis, Antipapam captum triremibus Aueniоnem miserunt, quò die 24. August. venit; & die sequenti in publico consistorio, capistro collo ligato ad Papæ pedes procubuit, & eleganti oratione confessione præmissa à PP. misericordiam postulauit: Ioannes lacrimans respondet, manu leuatum osculatur, atque absolutum

in parte Palatij cum libris conclusit, vixit tribus annis & mense, mortuus in Conuentu fratrum Minorum cum pompa sepultus est. *Ex Ioan. Villan. toto lib.* 10. qui inter Nicolai Anticard. Paulum non recenset, nec Ciacon.

Excessit Ioannes die Dominica Prid. Non. Decemb. Anno M. CCC. XXXV. nonagenario maior.

AD BENED. XII.

MOrtuo Ioanne orta est inter Cardinales dissensio, partium Duces, Cardinalis de Colūna & Tailarandus Cardinalis Petracoricēsis (an. M. CCC. XXXI. solus in Collegium adscriptus à Ioan.) Cui vnâ cum sequacibus Vasconibus & Gallis Cardinalem Conuenarum ea conditione eligi placebat, ne Romam Papalem Curiam reduceret; at eorum votum ille repulsa conditione elusit, quare iterum ad scrutinium redeuntes XXIV. Cardinales, humiliorem Collegij Cardinalem Album nuncupatum consona voce in Papam elegerunt 20. die Decemb. *Ioan. Villan. lib.* 11. *cap.* 21. apud quem vide reliqua, ille filius Guillelmi Molitoris Sauardunensis diœces. Appamiarum creditur fuisse, ab aliis Ioannis XXII. nepos ex sorore: in Bolbonensi Monasterio primum educatus, vt ipse ait in Bulla ad Abbates Cistercienses scripta.

Pag. 46. Diu multúmque sedente Ioanne inter Theologos quæstio fuit agitata, de visione Dei ante resurrectionem facie ad faciem animarum, quæ corporis nexibus liberæ nulla purgatione indigerent, cúmque ipse Ioannes eam in partem

quæ negabat inclinaret, crebrósque pro ea sententia sermones fereret, malè apud quosdam audiebat: quare ne quid temerè vel diceret, vel statueret, Cardinales, Prælatos, Theologos, ea quid in quæstione sentiendum esset, studiosè inuestigare voluit, vt demum quid sanciendum foret consulerent; cuius tamen studij fructum proxima mors abstulit, vt testatur Bened. XII. in sua Bulla. Refert tamen Ioan. Villan lib. 11. cap. 19. cùm supremi dies instarent, eum Bertrandi de Podieto Cardinalis nepotis precibus dedisse, vt pridie quàm excederet, pro perfectæ Dei visionis affirmatiua sententia declarationem ederet, quam ipse refert datam Auen. 3. Decemb. an. XIX. Pontific. vbi verò vixit, Benedictus XII. quid cuique fideli credendum foret, secundùm illam sententiam edita cōstitutione promulgauit. Dat. Auen. 4. Cal. Febr. an. Pontif. 2. Villan. refert ad an. M. CCC. XXXV. cur itaque noster ipsa inter Pontificatus initia recenset?

Pag. 47. Ludouicus Bauarus *Legatos & procuratores* ad Benedictum cum litteris Dat. Vlmæ die 5. Martij ann. M. CCC. XXXVI. eiurat omnes errores, litteris missis cum aliis Oratoribus datis Norimberg. die 28. Octobris, ann. M. CCC. XXXVI. Germaniæ præsules cōgregati Spiræ tam suo quàm Ludouici nomine, ad eum Ecclesiæ conciliandum procuratores ad Benedictum mittunt cum litteris die 27. Martij ann. M. CCC. XXXVIII. at cùm Oratores Bauari in Curia Rom. moras necterent, Ludouicus constitutionem contra potestatem Papæ in Imperatores edidit Francofurti die 8. August. ann. M. CCC. XXXVIII. quare in eum Ioannis diræ à Benedicto eodem anno innouatæ.

Pag. 48. Primo Pontificatus anno missus Romam ad sedandas ob Senatoriam dignitatem dissensiones, Bertrandus Archiepiscopus Ebredunensis, & Ioannes Archiepisc. Neapolitanus Vicarius vrbis constitutus est. Libratas autem hîc accipe fortè pro hospitiis, & domibus, liberata enim, & liberatio, & librata apud authores paulò antiquiores, pro procuratione, seu rebus necessariis quæ Magistratibus & aliis magnatibus in itinere pro eorum exhibitione ministrantur: pro mercede etiam & salario, acceptæ sunt; inde nobis magnatum librata, *la liurée*.

Pag. 49. Bertrandum de Podieto Ioannis XXII. Legatum in Italiam intellige, qui cum probris & iniuriis Bononia eiectus est.

Ead. pag. Ædes Arnaldi de Via Cardinalis post eius obitum Cameræ Apostolicæ addictæ, cum æde Episcopali à Benedicto permutatæ sunt, in huius autem solo Palatium ædificauit, *ex Soares*.

Pag. 50. Inscriptio citata à nostro scriptore hæc est. *Benedictus* P*apa XII. Tolosanus, fecit fieri de nouo tecta huius Basilicæ Anno ab Incarnatione Domini* M. CCC. XLI. *Benedictus* P*apa XII. Magister* P*aulus de Senis me fecit*: quinquaginta aureorum millia in eam rem impendisse scribunt.

Ead. pag. Philippus Massilia rediens secretò cum Ioanne XXII Auenione colloquutus de transmarino bello aliquid statuerat ann. M. CCC. XXX. quod demum ann. M. CCC. XXXI. secundo ab inde anno futurum promulgauit, & missis eam in rem ad Papam Legatis decimas, & alia ab eo petiit: at orto inter eum & Anglum bello, reuocauit decimas Benedictus: huius belli causas vide apud scriptores eius ætatis.

Pag. 52. Francofurti fœdus initum cum Ludouico & Edouardo Anglo an. M. CCC. XXXVIII. & hic Vicarius à Bauaro Imperialis constituitur, aliis in Alamannia, aliis in Italia, aliis in Gallia dicitur: certè Benedictus XII. in epist. dat. Auen. XI. Cal. Decemb. Pontific. anno 4. missæ Capitulo Leodien. *apud Ioann. Hocsem. in Adolph. Leodien. Episc.* ait [Sane cùm sicut intelleximus, præfatus Ludouicus, qui nec Rex nec Imperator est, & inf. Regem Angliæ Illustrem Vicarium in Alamania & Germania earúmque Prouinciis & partibus, sub Imperialis nominis titulo deputarit &c.] mandat ne ei pareant: quod ad bellum Anglicum cum R. Franco spectat. vide epist. Benedicti ad Edouardum & Edouardi ad Benedictum relatas à Bzouio, & Ioan. Villan. lib. II. cap. 71.

Pag. 54. Petrus Gomesij de Barrosso Hispanus primùm S. Praxedis Presbyter Cardinalis à Ioann. XXII. creatus, deinde Sabinensis Episcopus à Benedicto, Monasterium S. Praxedis quod vulgò Hispania dicitur, in territorio Auenionensi fundauit ann. M. CCC. XLVIII. Indict. I. die 26. mensis Februarij Pontificatus Clementis VI. anno VI. idque Monialibus sub regula & disciplina FF. Prædicatorum degentibus assignauit, vt patet ex fundatione & epitaphio (relatis à Soares.) quod legitur in dicto Monasterio: ex quo colligi puto, primas Moniales ex Pruliano antiquissimo eius Ordinis Monasterio diœces. S. Papuli in Narbonensi Prima, coloniarũ causa deductas fuisse. Bertrandus de Montefauentio extra muros Auenionenses ædificauit Ecclesiam de Bona Requie, vulgò de Montefauentio, in qua sepultus est an. M. CCC. XLIII

vt patet ex eius epitaphio. Arnaldus de Via nepos Ioannis XXII. Villanouæ ad Rhodanum Ecclesiam S. Mariæ construxit, & collegiatam esse voluit, quod & confirmauit Ioannes a. M.CCC.XXXIII. *ex Soares.*

Pag.56. Alfonsus Petri 4. pater Arragonum Rex an. M. CCC. XXXVI. mense Februario Valentia Raimundum Berengariũ fratrem ad Benedictum Pontificem Maximum Oratorem misit, de potestate supremi iuris Regni Sardiniæ & Corsicæ fidelitatis sacramento Ecclesiæ sancienda. *Hieron. Surit. lib. 3. Indic. rer. ab Arrag reg.* & Petrus 7. Id. Ianu. ann. M. CCC. XXXVII. Bernardum Villaragulium & alios ad Benedictum legat, qui iura Regni Sardiniæ & Corsicæ Ecclesiæ addicta, regio nomine Pontifici sancirent. *Ex eodem,* at ipse tandem ann. M. CCC. XXXIX. Comitatu Petri Patrui, & Tarraconensis Archiepiscopi & aliorum procerum, D. Martini festo die Tarascone ad Rhodanũm egressus ad Druentiæ transitum à 22. Cardinalibus excipitur, & Balearico Rege Iacobo comitatus Neapoleoni Vrsino Collegij Decano, & Conuenati Cardinalibus medius regio apparatu Auenionem introiit. Die sequenti Pontifici iura Regni Sardiniæ & Corsicæ sacramento sancit, atque ob repulsam rei petitæ à Bened. eadem die Villanouam regreditur, *apud eundem Surit.* Carolus autem Maioricarum R. iam XX. annum attigerat, minor ætate Petrus qui tamẽ viuo Auo futurus Regni successor renuntiatus fuerát, an. M. CCC. XXV. quo Iacobus XI. annum agens Constantiam Petri sororem desponsauerat.

Ead. pag. Alfonsi Castellæ & Portugalliæ Re-

ges ad 4. Calend. Decemb. anni M. CCC. XL. contra Reges Maurorum ad Carteiam oppidum iuxta Salsum fluuium fœliciter pugnant. 800. Mauros captiuos totidem equos cùm vexillorum pari numero Romam missos (Auenionem voluit dicere) quos præcedebat Regis Castellæ Legatus Saraceni Regis bello capti vexillum deferens: scribit *Roderic. Sanct. part. 4. Histor. Hisp. in Alfons.* XI.

Pag. 57. Frater Guillelmus Petri de Godiuo Baionensis in Nouempopulonia malè Tolosanæ diœces *à Ciacon.* Ordinis Prædicatorum, Parisiensis Theologus, ex Lectore Sacri Palatij Cardinalis creatus à Clem. V. in Hispaniam Legatus à Ioanne XXII. Vallisoleti diœcesi. Palentinæ habuit synodum Prælatorum Hispaniæ, sepultus in Ecclesia fratrum Prædicatorum Tolosæ, malè Ciacon. in Cathedrali.

Pag. 62. alij Nicolaum Fliscum Cardinalem ex Anglia redeuntem, captum ab hominibus Philippi Regis Francorum referunt, iuuante Ioanne Marescallo Bened.

Pag. 64. 1. legendum Gotius de Arimini, malè Ciacon. Tolosanus ex Episcopo Vasionensi, ita enim apud eum legendum non Vasconensi; Ariminensis fuit ex familia de Batagliis, Iuris vtriusque professor. 5. Bernardus, aliàs Bertrandus d'Alby. 6. Guillelmus Albus Tolosanus Papæ propinquus ex fratre nepos apud Vuion. Monachus Cisterciensis, Abbas Bolbonensis, deinde Episcopus Albiensis, Collegium Cisterciense Bernardinorum Parisiis à patruo fundatum perfecit, ornauit, erratum autem puto à librario, & quæ hic de hoc

Guillelmo

Guillelmo scribuntur, referenda ad Guillelmum Curti, qui Abbas Montisoliui diœcesis Carcassonensis fuit.

AD CLEMENT. VI.

PAg. 71. Clemens VI. Petrus Rogerij filius Guillelmi Rogerij Monstrij, Rosei vici Andium ad Ligerim Domini, ex monacho Casæ-Dei Doctor Theologus Parisiensis, Prior S. Pantaleonis diœcesi. Lemouicens. *Quercet.* à Cardinali de Mortuomari Lemouicens. in Curiam Romanam euocatus, primùm Prioratu S. Basilij prope Nemausum, deinde Abbatia Fiscanensi, Episcopatu Attrebatensi, *Quercet. Panuin. & nostro.* Arelatensi, *Ciacon. Masson.* donatus, & reliquis honoribus defunctus, de quibus noster: creatus die 5. Maij vel 7. coronatus die Pentecostes ann. M. CCC. XLII. in Ecclesia Prædicatorum Auen.

Pag. 72. Petrus de Prato, & Annibaldus de Cecano Card. missi ad pacem Anglum inter & Francum statuendam, ad treugas eos induxerunt, quæ à festo S. Michaelis mense Septemb. ad idem festum post triennium durarent: interim tamen ab vtraque parte Legati de sanguine regio ad Papam mitterentur circa festum S. Ioannis Baptistæ, vt ille inter Reges pacem stabiliret: *ex actis Treugæ apud Thom. de Vualsing. in Edouard.*

Pag. 73. refert hanc electionem *Joannes Villan. lib.* 12. *cap.* 7. & vnum solùm Italicum, cum nouem Transalpinis creatum scribit: decem quoque numerat Ciacon. sed aliis nominibus. 1. He-

lias de Nabilano, à Ciacon. omittitur, à Quercet. ex nostro refertur, nullum tamen alibi vestigium reperio; quare dubito ne ille sit qui an. M. CCC. LVI. ab Innocent. VI. creatus dicitur apud Ciacon. frater Helias de sancto Heredio, alias de Hanibaldis, Gallus, Ordinis Minorum Theologus. 2. à Ciacon. Guido de Monteforti Lemouicensis, ex Episcopo Bononiensi, malè: est enim Guido de Bolonia supra mare, apud *Math. Villan. lib.* 1. *cap.* 29. frater Roberti Comitis Boloniensis *Quercet.* filius Roberti Comitis Bononiæ & Aruerniæ ex Maria Flandrica, & frater Ioannis de Mongascon Comitis Montisfortis, ex Tornacensi & Cameracensi Lugdunensis & demum Cardin. Portuen. *Claud. Robert. in Arch. Lug.* ex Tornacensi, Camerac. & Attrebatensi, *Quercet.* inter Attrebat. tamen non recensetur. 3. Haimericus de Guardia, Lemouicen. Papæ propinquus *Ciacon.* Aymericus de Castrolucij vtriusque Iuris Doctor Episcop. Carnoten. *Quercet.* Æmiliæ Rector, Archiepiscopatu Rauennate donatus à Ioanne XXII. 7. Id. April. Pontif. ann. 7. *apud Hieron. Rubeum histor. Rauen. lib.* 6. de eo inf. *pag.* 75. 4. Andreas Ghini Malpigli Florentin. Episcopus Tornacensis, ad preces Regis Francorum eius amicissimi creatus Cardin. ad Legationem Hispanicam proficiscens decessit infra annum. *Ioan. Villan. lib.* 12. *cap.* 7. VII. Ademarus Roberti Lemouicens. Iurium Doctor, Notarius Apostolicus, Episcopus, Lexouiensis, Atrebatensis, Teroannensis, & demum Archiepiscopus Senonensis *Quercet. & Robert.* malè à notatore *Ciacon.* cum Andoino Alberti Parisiensi Episcopo confunditur. 8. Gerar-

dus Domarus Lemouicenſ. Papæ ſororis filius *Ciacon.* Gerardus de Gorria *Quercet.* Toloſæ ſepultus in Conuentu Prædicatorum. Addit *Ciacon.* huic creationi Petrum Cyriaci Lemouicenſem ex Epiſcopo Attrebatenſi Preſbyterum Cardin. S. Chryſogoni Legatum cum Annibaldo Tuſculano ad Iubileum: at *à Math. Villan. lib.* 1. *cap.* 30. ſolus Cardinal. Bononienſis cum Annibaldo legatus nominatur.

Pag. 74. Guillelmum Curti 14. Cal. Auguſt. anno 1. Legatum in Italiam miſit Clemens, & Aymericum 2. Idus Octob. vt Italiæ Principes contra Bauarum excitârent: at mortuo Roberto Rege Siciliæ, die 16. Ianuarij hoc anno M. CCC. XLII. Ioanna Maria, & Margarita, ex Carolo filio Duce Calabriæ neptibus ſuperſtitibus, ex quibus Ioannam ſibi ſucceſſuram Andreæ Caroli Humberti Regis Vngariæ fratris ſui filio vxorem dederat: propter eorum infirmam ætatem Clemens Aymericum Balium conſtituit. Miſſi ex Sicilia Legati Auenionem qui Reginæ nomine coronationem poſtularent ann. M. CCC. XLIII. deſtinati Pentecoſtes dies anni proximè ſequuturi; ſuperſedebat enim Clemens ob prauos Ioannæ & molles Andreæ mores: tandem regni poſſeſſio Ioannæ tradita ann. M. CCC. XLIV. die vltima Auguſt. præſtito ab ipſa in manibus Aymerici iuramento: & ballio reuocato plena adminiſtratio committitur, miſſus deinde Guillelmus Epiſcopus Carnotenſis, qui Andream coronaret. *Ioann. Villan. lib.* 12. *cap.* 50. Legatum Cardinalem dicit. Interea dum Auerſæ moratur Andreas, in caſtro quod poſtea Cœleſtinis addictum eſt, dolo vxoris

Ioannæ quæ funeratam eius libidinem querebatur, ab adulteris die 18. Septemb. ann. M. CCC. XLV. capistro suspensus dicitur, annos natus 19. ex Nicolai Vngari R. Andreæ curatoris relatione scribit *Ioann. Villan. lib.* 12. *cap.* 50. excusant alij Ioannam, & eius famæ meritò consulunt; certum tamen est nece audita Papam in reos animaduertere iussisse, Comites Nouellum, & Baucium, vnâ cum Aymerico Legato, quapropter & plures extremo suplicio affecti. *Ex Ioan. Villan. lib.* 12. *c.* 9. 50. 51. *& epist. Clement.*

Pag. 77. plures Legati ad sedandum Balearici & Arragoniæ Regum bellum missi à Clemente, neque de eorum nomine & tempore apud scriptores constat: videtur tamen primò missus Andreas Cardin. quo in itinere mortuo, substitutus Cardinal. S. Cyriaci, priùs missum dicit *Quercet.* Bertrandum Dencium Cardin. S. Marci, Cardinalis Rhodensis S. Cyriaci dicitur à *Surita lib.* 3. *Indic.* qui inducias inter Reges statuit cum administro legationis Oliuerio Valentino Episcopo. 17. Cal. Septemb. ann. M. CCC. XLIII. & anno sequenti M. CCC. XLIV. missus Armandus Auxitanus Archiepiscopus, Aquensem vocat Bzouius, qui inducias prorogaret, de iure verò supremo & honorario, non de ipso dominio primùm inter Reges certatum est.

Ead. pag. vbi Clemens VI. electus est missi sunt à Romanis Iacobus Sauelli, Bricius Sauli, & Iacobus de Columna, ei gratulaturi & petituri vt Romam veniret: ac Iubilæum quolibet 100. anno à Bonifac. VIII. statutum, antiquo Iudæorum exemplo, propter humanæ vitæ breuitatem ad

50. reduceret, annuit huic postulationi Clemens, & Constitutione data 6. Cal. Februar. Pontificat. anno 1. statuit vt proximo 50. anno & deinceps quolibet 50. Iubilæus celebraretur *c. vnigenitus Extrauag. de pœnit. & remiss.*

Pag. 78. Clemens literis dat. 2. Non. August. ann. 1. iubet processus à sede Apostolica aduersùs Bauarum factos, ab Episcopis denuò promulgari. 2. Pontificat. 2. Idus April. ipse publicè Ioannis XXII. in eum diras innouat, anathematizat, honore Imperiali priuat, & Treuerensi Archiepiscopo, aliisque Electoribus scribit, vt alium Imperatorem eligant. Bauarus tamen Francorum Rege intercedente Legatos ad Papam mittit, qui Francofordianæ sanctioni nimium adhærentes repulsi sunt. Francofurti anno 3. Clement. habita Comitia à Ludouico, in quibus authore Moguntino Archiepiscopo multa contra authoritatem Papæ statuta sunt, & futuris Comitiis Rhensium ad Rhenum designatum: at Clemens anno 5. in die Cœnæ Domini cùm pro concione Ludouicum deplorasset, anathemate percussit, & Imperiali auctoritate priuauit: Legatos deinde & litteras ad Principes misit ne eis adhærerent, & Electoribus vt alium eligerent, tum euocauit ad se Carolum Marchionem Morauiæ, vnâ cum patre Ioanne Rege Boemiæ quibuscum & Cardinalibus de Carolo in Imperatorem eligendo egit, conditionibus quibusdam oblatis, quæ à Carolo promissæ diplomate. Dat. Auen. 22. April. an. M. CCC. XLVI. dissenserant Cardinales, nam Franci quorum præsul Cardinalis Petragoricensis Carolum optabant, contradicebat Vngariæ Rex Vasconibus Cardina-

libus iuuantibus quorum Dux Cardinalis Conuenarum: ſcriptæ nihilominus fuerunt à Clemente litteræ ad Electores quæ Carolum commendarent; qui à Gerlato Moguntino Archiepiſcopo A. S. L. euocati, die XII. Iulij apud Renſium Carolum elegerunt, 8. Id. Nouemb. Pontif. 5. electionem approbat Clemens, & cùm Aquiſgranum Ludouicum ſequeretur, Bonnæ ab Archiepiſcopo Colonienſi Regni inſignia ſuſcepit. *Ex Ioan. Villan. & epiſt. Clement.*

Ead. pag. Henricus Vvembergius Moguntinus Archiepiſcopus, Bauaro adhærens excomunicatur à Clemente, & ad dicendam cauſam dies illi dicitur Auenione anno Pontific. 2. non ſtantem iudicio anathemate percutit, dignitate Eccleſiaſtica in perpetuum indignum iudicat publico edicto dat. Auenion. 7. Id April. Pontif. anno 4. & anno quinto, anno M. CCC. XLVI. in quadrageſima ait *Ioan. Hocſem. in Adolph. Leodien.* in publica concione die Cœnæ Domini, quæ Henrici facinora enumerat, *Ne dicta Eccleſia incommoda ſua viduationis deploret; auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum* Petri *&* Pauli *Apoſtolorum eius, & noſtra, & de conſilio fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Gelracum filium Comitis de Naſſau Capellanum noſtrum, Decanum dicta Eccleſia praficimus Archiepiſcopum, vt cum principibus ſedeat, & ſolium gloria teneat &c.* Non ideo tamen vel à Ludouico deſciuit Henricus, vel Archiepiſc. ceſſit; immo & mortuo Ludouico Guntherum contra Carolum Imperatorem eligi curauit: ac tandem Carolo à Moguntinis ciuibus & Clero recepto, in Domini Natiuitatis Vigilia ſubito

nteriit, anno M. CCC. LIII.

Pag. 79. Stephanus successisse Guillelmo de Lauduno dicitur ante Raimundum in Indic. Archiep. Tolosan.

Pag. 80. hanc creationem refert *Ciacon.* ad annum M. CCC. XLIII Pontif. 2. 4. Cal. Iun. in Palatio Neapoleonis Card. vltra Rhodanum *Quercet.* primum Cardinal. Ciac. Stephanum de Canilhaco vocat, qui à nostro omittitur, at Raymundus eiusdem nominis posteriori electione creatus dicitur infrà *pag.* 95. reponendus est igitur Petrus Bertrandi, Senioris Bertrandi ex sorore nepos, cuius nomen honoris gratia sumpsit, Viennensis Prouinciæ, at diœcesis Viuariensis loci de Columbariis, à quo nomen, iuxta Annonæum vnde oriundus senior fundator Collegij Parisiensis.

Pag. 81. Anno M. CCC. XLV die 26. Septembris Comes Hollandiæ, cum omnibus suis à Frisonibus vincitur, & trucidatur.

Ead. pag. Ludouicus Bauarus anno M. CCC. XLVII. 5. Idus Octob. subita morte interiit, eligitur Edouardus Angliæ Rex, qui vna cum filio annuens electioni, obstante maiori Baronum parte tandem recusauit: quare Henricus Exarchiepiscopus Moguntinus, ope Cunonis Falckenstenij, & Vvittembergensis, recusatum etiam à Frederico Misnensi Marchione Ludouici genero Imperium, pertractis in suam sententiam Adolpho Comite Palatino Rheni, Othone & Ludouico Brandeburgens. Electoribus, Gunthero Schuuarzenburgensi detulit, cumque Aquisgrani coronauit mense Februario, qui dum Francofurtum

obſidet, à Medico propinato veneno in manus Caroli venit.

Pag. 83. lege Engelbertus qui in locum Adolphi à Marcha patrui ex præpoſito Leodienſi à Papa ſuffectus anno M. CCC. XLV. contra Leodienſes & Hoyemenſes die 19. Iulij *Joann. Villan.* die 25. ann. M. CCC. XLVI. infœliciter pugnauit, at ann. M. CCC. XLVII. Vigil. Magdalenæ eoſdem deuicit, & octauo poſt pugnam die inter ipſos pax eſt ſtatuta. *Ioann. Hocſem. in Engelb. Leod.*

Pag. 84. Bononiam Archiepiſcopus Mediolanenſis menſe Octob. ann. M. CCC. L. emit à Ioanne de Peppoli, cuius deceſſores Ciues Bononienſes pulſo Cardinali de Podieto, eius dominium ſibi vindicauerant. Spreta hac emptione Pontificis poteſtas erat, cuius iuris Bononia cenſebatur. Ideo Clemens innouatis Ioannis XXII. in Archiepiſcopum proceſſibus, eũ excomunicat, memor iam olim Nicolao Antipapæ Pſeudo-Cardinalem adhæſiſſe, fictè tandem Eccleſiæ reconciliatum: at ille omnia ea fulgura auro & muneribus eludit, inſtante Philippo Franc R. in gratiam Clementis admiſſus, claues Bononiæ ab ipſius Legatis Papæ datæ, ab illo ipſis redditæ, inueſtitus Mediolanum & Bononiam ad 12. annos, ea conditione vt quolibet anno 12. millia florenorum in Cameram Apoſtolicam pro cenſu inferrentur, & 12. annis elapſis libera Bononia Eccleſiæ redderetur: pro expenſis belli in Romania à Pontifice geſti centum millia florenor. data. *Math. Villan. lib.* 1. *c.* 67. *& ſeq. lib.* 2. *c.* 66. *lib.* 3. *c.* 2. 3. 4.

Pag. 85. mortuo Andrea Regnum Neapolitanum in tres factiones diuiſum: quarum vna Ludo-

uico Principis Tarentini fratri, & Ioannæ Reginæ; alia ipsi Principi Tarentino; altera Dyrrachi Duci fauebat, eius autem morte accepta fratres Vngariæ & Poloniæ Reges, excitantibus Bauaro, Marchione ipsius filio, Duce Austriæ & fœderatis, vindictam concipiunt; missi ad Pontificem ab Vngaro Legati, qui cædis fraternæ vltionem expostulantes, Cardinalem Petragoricensem eius conscium accusarent: at illi ob ictū cum Bauaro fœdus à Clemente non auditi. Interea mouet Vngariæ Rex, præmissis in Appuliam Archiepiscopo Vngaro & Nicolao olim Andreæ tutore, mense Iulio anno M. CCC. XLVII. quò ipse mense Nouembri appellit: iam ante Ludouicus Principis filius secundogenitus Ioannam Reginam Ducis Calabriæ consobrini filiam dispensante Papa & procurante Cardinali Petragoricensi duxerat die 20. August. eiusdem anni, ex quo Dux Calabriæ & Balius Regni dictus est: at Neapolim accedente Vngaro, euadit in triremibus Ioanna die 15. Ianuar. sequente paulo post Ludouico. Auersam venit Rex Vngariæ 17. Ianuar. & post prandium ductis ad locum in quo occisus fuerat frater Baronibus qui fidem eius receperant, manu propria Ducem Dyrrachij occidit, alios carceri mancipat, atque inde Neapolim proficiscitur. Cæterum Ioanna à Prouincialibus honesta custodia detenta, veniente marito liberatur, atque cum eo Auenionem venit, vbi Papa eorum nuptias ratas habet, Vngarus verò regno Conrado Lupo commisso, tum morbi, cùm insidiarum metu, in Vngariam redit sub finem mensis Maij ann. M. CCC. XLVIII. reuocati à Baronibus Ludouicus & Ioanna mense Augusti

Neapolim redeunt; cùm ad ſumptus mutuam à Papa non recepiſſent, Auenionem triginta millibus aureorum florenorum illi vendiderunt: pugnant tamen Vngari, & Barones, atque his victis Annibaldus de Cecano Legatus, receptis Regni arcibus inducias ſtatuit ann. M. CCC. XLIX. ſed reuerſus Vngarus bellum renouat, nec niſi Auerſa reddita, ab Epiſcopo Morinenſi Legato, & Comite Auellino, ad has pacis conditiones adduci potuit Cal. April. an. M. CCC. LI. vt Ioannæ de morte Mariti cauſa Clementis iudicio permitteretur, qua damnata, Regnum ad Vngarum pertineret; abſoluta, reſtitueret Vngarus eidem quæcumque cœpiſſet, receptis propter impendia triginta millibus florenorum auri: interim Rex & Ioanna exirent regno. Clemens abſoluta Ioanna præſentibus Legatis Vngaris, Epiſcopo Quincleſienſi & aliis pacem ſtatuit menſe Ianuar. ann. M. CCC. LI. ſoluenda certis diebus Vngaro dicta pecunia, quam ille tamen acceptam tulit. Itaque pace ſtabilita an. M. CCC. LII. die 27. Maij Ludouicus & Ioanna Reges coronati ſunt. *Ex ſcriptoribus eius temporis, præcipue Ioann. Villan. lib.* 12. *& Math. lib.* 1. 2. *&* 3.

Pag. 87. Iuo ex pago S. Martini Trecorenſis diœceſis in minori Britannia oriundus, patre Aheloro, Cancieti Militis filio.

Ead. pag. ab hac inaudita peſte orditur Mathæus Villanus hiſtoriam, Ioanne illius contagione mortuo; lege eius vaſtitatem cap. 1. in India incœpiſſe narrat *Thritem. in Chronic. Hirſaug.*

Pag. 90. Nicolaus Laurentij popinarij & Magdalenæ Lotricis & aquæ baiulæ filius, antiquitati-

bus perquirendis, & eloquentiæ deditus, atque ob id Antiquarius dictus, Auenionem Legatus, vbi Romam rediit, die 20. Maij festo Pentecostes ann. M. CCC. XLVII. Tribunus creatus est à populo ad libertatem prouocato, Bauarum citauit hoc titulo præposito, Nos Candidatus aqua Spiritus Sancti, Miles, Nicolaus, Seuerus & Clemens, Liberator vrbis, zelator Italiæ, Tribunus Augustus. Ideo magniloquus dicitur à nostro, ita enim legendum, eum à Carolo captum Papa missis Imperatori & Ernesto Archiepiscopo Pragensi litteris, Ioanni Episcopo Spoletano & aliis tradi impetrauit.

Pag. 91. clam filio Philippus Nauarræam duxerat, quòd etiam filius eam adamaret, quare ille mortua vxore filia Ioann. R. Boemiæ, Ducis Burgundiæ viduam ex domo Boloniensi supra mare, vxorem duxit: ad intempestiuam venerem Philippi mortem refert Villan. cui successit filius Remis coronatus 7. Cal. Octob. ann. M. CCC. L. Rodolphus Comes Auci Conestabilis ab Anglis captus, ea conditione in Franciam redierat, vt octoginta millia aureorum Anglo numeraret, aut Comitatu Guinensi decederet, cùm id pactum Regi displiceret, proditionis accusatus in ipso carcere capite plectitur.

Ead. pag. missi Romam Annibaldus Episcopus Tusculanus, & Guido sanctæ Cæciliæ presbyter Cardinal. Legati ad Iubilæum anno M. CCC. L. maximo tumultu in Annibaldum excitato, Neapolim Regni causa ille petit, at in itinere in oppido S. Georgij mense Iulio obiit, veneno vt creditur vino mixto, quo & quidam domestici perierunt.

Clemens autem iam ante x. Cal. Mart. anathema tulit in eos qui Romipetas quocumque modo vexarent.

Pag. 93. Iacobum Maioricarum Regem affinem licèt ob id maximè Arrago oderat, quòd in Francia enutritus ait *Math. Villan.* fidem quam exigebat Arrago præstare vel Regno cedere à suis compulsum, Papa & Rex Franciæ recepere, dedito Aragoni Regno. Clarentij nomen in eo exilio sortitur: at vendita Franco ea Mompellerij parte quam ab eo tenebat, CXX M. nummis aureis, Genuensium ope classem adornat, & Baleares inuadit, à Moncada Arragonis Præfecto, & Raimbaudo Corbera excipitur, ad 8. Cal. Nouemb. ann. M. CCC. XLIX. pugnatum: Iacobo fortiter certanti at victo caput obtruncatur, filius saucius in hostium potestatem venit.

Pag. 95. Ægidius Garziæ Aluari Carriglius Albornotius, Conchensis Hispanus, ex Archiepiscopo Toletano, iuri Canonico Tolosæ studuerat, multis deinde Legationibus & præclaris facinoribus illustris. II. pastor de Albernaco, quia conuentus Minorum Albernacij in Cemmenis montibus Theologus Parisiensis. III. Raymundus de Canillaco in 2. creatione ann. M. CCC. XLIII. refertur à Ciacon. malè Attrebatensis, & Florensis Episcopus, rectè Tolosanus. IV Pictauinus, malè Petrus, & Pictauinus à gente, est enim *de Montesquieu.* VII. Petrus de Crosso omissus à Ciaconio malè ad secundam creat. Card. Innocent. VI. ann. M. CCC. LVI. refertur, vbi & Rothomagensis Archiepiscopus dicitur. VII. Pontius, Arnaldus Ciacon. IX. Ægidius omittitur à Ciacon. ab eius

notatore additur, qui tamen ex catalogo Abbatum S. Dionysij ait creatum ann. M. CCC. XLII. apud *Claud. Robert* an. M. CCC. XLI. ex quo & tertio à sua creatione die obiit 20. Decemb. an. M. CCC. L. Addit autem huic creationi Ciac. Raymundum de Vill. Archiep. Tolosan. Petrum Bertrandi, Vivariensem: & Petrum de la Foresta Abbatem sancti Dionysij & electum Archiepiscopum Rothomagensem.

AD INNOCENT. VI.

PAg. 106. Nouiodunensis Episcopus fuit, in quorum catalogo recensetur num. 70.

Pag. 107. hanc Cardinal. creationem mense Martio quatuor Téporibus Quadragesimæ refert Ciacon. quid noster anno iam inchoato? num qui iam in aliis prouinciis ab ipso Ianuario annum inchoandi mors inualuerat, Auenione quoque obseruabatur? non crediderim.

Ead. pag. Innocentius in sumptus translationis Clementis decessoris quinque millia aureorum numerauit: cùm Hugo S. Laurentij in Damaso Guillelmus S. Mariæ transtyberim, Guillelm. S. Mariæ in Cosmedin, Nicolaus S. Mariæ in via lata, Petrus S. Mariæ nouæ Cardinales ad Monasterium Casæ Dei funus comitarentur. VI. Cal. Maij ann. M. CCC. LIII.

Pag. 108. litteræ Legationis Ægidij datæ apud Villam nouam diœces. Auenionensis XI. Cal. Iun. Pontificat. nostri anno I. habent: *te in patrimonio B. Petri in Tuscia, Ducatu Spoletano, Marchia*

Ancona, Romandiola, Campania ac maritimæ prouincÿs, ac omnibus & singulis ciuitatibus, & terris, eidem Romanæ Ecclesiæ temporaliter, mediatè, vel immediatè subiectis, infra terminos Legationis tuæ, vt præmittitur, nostrum & eiusdem Romanæ Ecclesiæ Vicarium, in Temporalibus, reformatorem, ac pacis & prouinciarum conseruatorem constituimus generalem. Viterbium cum aliis oppidis occupauerat Ioannes Vicus, Ariminium, Pisaurum, & alia, Malatesta, Vrbinum Antonius Philaretus, & alij alia: aduersùs quos Ægidius vsus opera Gometij Albornotij ex fratre nepotis, & Blasci Fernandi, & Garsiæ Albornotij, propinquorum, exercitum in eos duxit, & euicit.

Pag. 109. contra definitionem Ioann. XXII. de paupertate, & proprio, disputabant hi fratres Minores, quorum duo capti Monspelij, curiæ seculari traditi ab Innocentio, à quo interrogati opinionem suam asseuerauerant.

Pag. 110. Mariæ Padillæ concubinæ amorem, ab vxore Blanca animum Petri auertisse alij scribunt inter quos *Math. Villan. lib.* 4. *cap.* 18. alij eandem Iudæorum & zonæ historiam narrant. *Roderic. Sanct. histor. Hispan. part.* 4. *cap.* 14. eos consule, nos enim omissis plerisque quàm citissimè possimus ad finem inuiti prouocamur.

Pag. 114. de grandine enormi die 12. Septemb. ann. M. CCC LIV. & Eclipsi solis die 17. eiusdem mensis *V. Math. Villan. lib.* 4. *c.* 24. qui refert *lib.* 5. *c.* 86. Principem Vvalliæ cum tribus equitum millibus, sagittariorum quatuor, Calesio Tolosam venisse, Carcassonam arce relicta cœpisse, Bitterrim depopulatum, Montempessulanum ac-

cedentem, ab Innocentio iussum recedere: Iacobum Borbonium Conestabilem voluisse agredi onustum præda, quæ ad mille currus, captiuorum quinque millia & amplius accedebat: at contradicente Armeniaco Comite, Parisios rediisse & officio se abdicasse, quod Duci Athenarum Comiti Brennio datum est.

Pag. 115. Festo Natiuitatis Domini die peractis à Pontifice sacris in eodem sacello Petrus Rex Aragonum, Dianium Contestanorum oppidum Comitatus honore tituloque decoratum, Alfonso Petri Ripacurciæ Comitis filio patrueli fratri donat. an. M. CCC. LVI. *Surit in Indic. Arrag. lib.* 3. & cum Petro à Pontifice de Corsica Gennensibus tradenda tractatum refert.

Pag. 116. Carolus iuramento astrictus ne Romam ante diem à Pontifice indictum ingrederetur, absoluitur ab Innocentio, qui Petro Ostiensi Episcopo, & Ægidio Carillio Cardin. 2. Cal. Februar. & 4. Id. ann. 3. scribit, vt eum Romæ coronarent, si prius Ecclesiæ iurium defensionem spopondisset: qua peracta & conscripta sponsione Laterani Non. April. ann. M. CCC. LIII. Carolus die Paschæ 5. April. coronatus est. Is verò in Alemanniam rediens, à Cambacurtis alterius Pisanæ Ciuitatis factionis ducibus Pisis receptus, excitatam ab altera parte, Raspantorum scilicet, seditionem, die 20. Maij in homines Imperatoris, eius causa astu in Cambacurtos translatâ, ipsorum suplicio sopiuit, & ad finem Maij Pisis discessit: eóque anno M. CCC. LVI. Norimbergæ Carolinam auream bullam, & alias constitutiones edidit.

Pag. 117. Carolus Alfonsi Hispani filius, ab in-

fantia cum Ioanne Francorum Rege educatus, Rodulpho Conestabuli successerat, & Comitatum Engolismæ à Rege Nauarræ Ioanni cessum receperat: atque ob id Haricuriarum & Nauarræi coniuratione ad Aquilam Normanniæ vicum 6. Id. Ianuar. ann. M. CCC. LIII. in lecto oppressus fuerat, qua de re vehementer dolens Ioannes neminem quatriduo ad colloquium admisit, & Ioannæ filiæ Nauarræi vxoris fletibus motus vindictam dissimulat [cui quæstione de reis habita: at an. M. CCC. LV. ad epulas Caroli Normannorum Ducis filij sui, quibus Nauarrus & alij intererant, non expectatus Rothomagum, armatus & tecto capite veniens, irarum plenus etiam Nauarræo inflixit ictum, cum Lutetiam in carcerẽ amandat, Haricuriæ Comitem aliosque cædis conscios è vestigio capite plecti iussit, cùm res nouas eos moliri intellexisset.

Pag. 121. Petrus de Foresta inter Cardin. Clem. VI. refertur à Ciacon. qui tantum quinque ab Innocentio creatos ait. 2. Helias fortè confunditur cum eo qui de Hannibaldis supra dictus est, quem Ordinis Minorum scribit Ciacon. at hic sancti Benedicti. 3. Franciscus omissus à Ciac. Franciscus de Aptis Italus Ciuis Tudertinus, Episcopus Florent. in eorum indice Franciscus Andreas Tudertin. circa annum M. CCC. LVI. 4. Petrus de Selua oriundus loci de Montyraco diœces. Lemouicens. *Quercet.* addit Ciac. Petrum de Crosso Lemouicensem.

Pag. 123. Leodiensis Episcopus Machliniam Pontificis permissu in feudum dederat, eo quod Brabantio Duci contra Ecclesiam fauisset: quare

Ioanne

Ioanne Brabantino mortuo quatuor filiabus superstitibus, quarum vna Vuenceslai Imperatoris Caroli vterini fratris, alia Ludouici Flandriæ Comitis vxor; Flandrus vxoris nomine à Vvenceslao legitimam petit, Machliniam eo iure repetit, vbi ad arma ventum compromittitur, at arbitris sententiam ferre paratis & Machliniam Flandro adiudicaturis, Brabantinus suos intercipit. Itaque 17. August. ann. M. CCC. LVI. pugnatum, victo Brabantino, Bruxellæ receptæ, Antuerpia, Machlinia, & vniuersus Ducatus Flandro deditus.

Ead. pag. addit Villaneus *lib.* 7. *cap.* 75. Armeniacum admoto iam igne palatio, intercedentibus Nobilibus Tolosatibus iurasse, se nihil à populo exacturum, vel vindicaturum, atque ita Tolosa in patriam decessisse.

P*ag*. 126. Archipresbyter Petragoricensis, & ipsi socius Amelius de Baucio dicitur à Villan. lib. 7. c. 87. eosque ab Ecclesiæ terris abstinuisse scribit, idque Papæ cauisse. at cap. 96. eorum prædas vnà cum Comite Auellino, & quinque nepotibus Clementis Papæ VI. enumerans, Papam vallis & muris Auenionem refecisse scribit, & plebem armatam vix Cardinalibus Clementis nepotibus pepercisse.

Pag. 128. mense Maio M. CCC. LV. Malatesta Ariminensis Bononiam Ægidio Cardinali restituit; quam eodem anno occupans Ioannes ex Vicecomitibus certis conditionibus Ægidio reddit Idib. April. ann. M. CCC. LX. quo Carrocio obuiam misso Cardinalis à Bononiensibus recipitur.

Pag. 129. anno M. CCC. LVII. Guillelmus san-

ctæ Mariæ in Cosmedin Cardinalis Legatus ad pacem Regum Arragoniæ, & Castellæ; xv. dierum inducias statuit, his violatis, 7. Id. Mart. Turiaso à Castellano capitur: iterum induciis pactis, & ruptis, Legatus Castellanum & Regnum sacris interdicit. Legatus anno M. CCC. LIX. Guido Bononiensis Portuensis Episcopus Cardinalis, regio genere ortus, cui summa auctoritas *apud Surit.* ann. M. CCC. LXI. quædam pacis imago ab eo composita non diu duratura, ideóque in eam rem an. M. CCC. LXIII. à Pontifice Abbas Fiscanensis Legatus est.

Ead. pag. milites Angli in MS. Vatican. allato à Bzou. dicuntur, qui pactis induciis Regum, Comitatum Venayssini inuadunt an. M. CCC. LVIII. oppidũ S. Spiritus occupant, & dum Auenioni imminent, numeratis XXX. millibus aureorum ab Innocentio abiguntur; Malandomi vocantur in cod. MS.

Pag. 135. Ludouicus Comes Lossensis moritur die 21. Ianuar. an. M. CCC. XXXVI. Adolphus Leodiensis Episcopus, eo quòd nepos Comiti succedebat, etiam monitus à Capitulo, Comitatum iure ad Ecclesiam reuersum occupare dissimulauit, at nepote mortuo monitus à Papa ficté possessionem iniit. Engelbertus tamen successor, totis viribus incubuit.

Pag. 136. Milites Teutonici Keisutum Lituanum prælio victum in arcem Maireburgensem vinctum coniecerunt. *Richard. Cluniac.*

Pag. 137. I. Fortanerius, aliàs, Sertorius Vaselli Gualensis, ex Cambria Angliæ Prouincia, Minister generalis Ord. Minor. Archiepiscopus Ra-

uennas, & Patriarcha Gradensis *Ciacon.* Aquitanus *Paulo Cortesio.* in monasterio Gordonij beati Francisci regulam amplexus: Vrsinæ gentis asseritur *Math. Villan.* absens creatur, ac in itinere moritur, ante adeptum titulum, mense Aprili M. CCC. LXI. Pataulj. 2. Petrus Petragoricensis, Aquensis, in Vasconia Episcopus malè Archiepiscopus *Villan.* 3. Ioannes de Bransaco nepos Bertrandi de Dencio Episcopi Sabini Cardinalis, Episcopus Nemausensis, corrige Villan. qui *Nemorso* habet. 4. Ægidius Aisselini, de Bellamera, *Ciacon.* Guillelmus, Froissarti. 5. Androinus, Hadrianus *Thom. Valsing.* Androinus de Rupe, non de Ruspe, ex Abbate S. Sequani Abbas Cluniacensis 34. *in Chronic. Cluniac.* absens creatur: hanc creationem refert *Math. Villan. lib.* 10. *c.* 71. vbi nullum Italum creatum dicit.

Pag. 138. Epitaphium Petri de Monturuco nepotis Innocentij in æde Carthusianorum Villanouæ. *Hîc iacet R. in Christo Pater D. Petrus Cardinalis Pampilonensis, secundus fundator huius domus Vallis benedictionis, nepos Papa Innocentij VI.* Epitaphium verò Innoc. VI. in eadem æde sacra: *Hîc iacet Beatissimus Papa Innocentius VI. primus fundator huius domus, qui obijt an.* M.CCC.LXII. *die verò* XII. *mensis Septemb.*

AD VRBAN. V.

P*Ag.* 142. rectè Codex Regius Gabalitanus, fuit enim filius Guillelmi Grimoardi, & Fœliciæ de Montferrand dominorum oppidi de Grisaco in

diœcesi Mimatensi apud Gabalos.

Pag. 143. Petrarcha lib. 7. senilium illum alloquens. *Deus profectò, Deus inquam solus & nemo mortalium elegit, linguis licèt illorum vsus, quas ad aliud dispositas ad suum vertit obsequium, quódque ipse volebat, dictu mirabile per nolentes fecit:* secreta autem ab aliis dicitur electio, ne ab Italis detineretur.

Pag. 144. Androinus die quo Innocentius è vita migrauit, ad Curiam accessit, licèt titulum non haberet, tamen ex sententia duorum veterum Cardinalium ab aliis electorum, licuit illi ad Pontificem eligendum ferre sententiam. *August.* Patrit. *lib.* 2. *sect.* 1. 6. 5. *rituum S. R. E.*

Pag. 146. Monialibus è Cœnobio de Furnis trans Rhodanum in Prouincia Narbonensi Auenionem profugis ædes emptas dedit in monasterium, vbi hodie Collegium D. Nicolai de Annessiaco. *Soares. Ibid.* in indice Episcoporum Aptensium, *Monasterium Monialium O.* C. *in vrbe, ab Vrbano V. fundatum.*

Pag. 147. Armeniaci & Fuxi Comites in Insula iuxta Tolosam die 5. Decembris ann. M. CCC. LXII. pugnant, tribus equitum millibus ex vtraque parte cæsis, victore Fuxensi, capto Armeniaco, & aliis Baronibus. *Math. Villan. lib.* XI. *c.* 36.

Ead. pag. mense Nouembri ann. M. CCC. LXII. Ioannes Vrbanum inuiserat, & quatuor ab ipso postulauerat, quibus non impetratis Auenione recessit in Prouinciam. Cypri Rex tertio die Decemb. Auenionem venit, transmarinæ expeditionis gratia: *Math. Villan. lib.* XI. *c.* 31. 32. 34.

Pag. 148. Iacobus (quem supra captum à Petro

diximus cæso Iacobo patre Maioricarum Rege) custodia durissima septus, cauea ferrea inclusus, adulterinis clauibus claustris patefactis & præfecto arcis iugulato, Calend. Maij ann. M. CCC. LXII. euasit, & Ludouico Ioannæ coniuge 7. Cal. Iun. fato perfuncto, anno vertente Ioannam duxit.

Ead. pag. vbi creatus est Vrbanus missi à Barnabone Legati Auenionem reconciliationem postulaturi, qui grauiter, quantumuis instaret Ioannes R. Francorum excepti sunt. Processus in Barnabonem quasi schismaticum & hæreticum ab Vrbano publicati die mense Ianuar. ann. M CCC. LXII. præfixo sistendi se termino ad mensem Martium: quo iterum procedit, in publico consistorio solemni ritu anathematizat, quem lege apud *Mat. Villan. lib.* XI. *cap.* 41. verùm anno M.CCC.LXIII. mense Aprili pax Barnaboni reddita est, Legatus Androinus, qui adhuc Abbas Cluniacensis *à Philippo Villaneo lib.* XI. *c.* 64. quem consule.

Pag. 159. Epitaphium Marci Viterbiensis creati hac vice Cardinalis, habet *Cardinalis ab Vrbano V. ob suam ingentem in omni virtute gloriam Calend. Januar.* M. CCC. LXVI. *creatus:* adijcit huic creationi Ciacon. Petrum Tornaquincium Florentinum.

Ead pag. Vrban. V. condidit Ecclesiam S. Marthæ & Benedicti ad Montempessulanum, duodecim sacella addidit, maius altare dicauit; Collegium fundauit duodecim scholasticis Medicinæ addictum, insignem bibliothecam instruxit, de illis infra noster scriptor.

Pag. 162. instar arcis monasterium S. Victoris muniuit, turrem cymbalariam construxit, reli-

quiis Ecclesiam ornauit, eámque adeò veneratus est, vt aliquando etiam Pontifex Auenione pedes ad eam accessisse, & consecrato maiore altari pedes Auenionem rediisse dicatur.

Pag. 164. Ægidius Viterbium venienti Vrbano occurrit, & cùm suggestione Cardinalium administratæ Legationis rationes poscerentur, claues arcium vrbiumque receptarum, vix eas capiente curru, obtulit: Pontificē Romam comitatus, vacatione impetrata Viterbium rediit: vbi ann. M. CCC. LXIV. obiit, Collegium triginta adolescentibus Hispanis Bononiæ condi mandauit, Toletum corpori deportando, cuicumque humeros supponeret, indulgentiam peccatorum Vrbanus concessit.

Pag. 170. De rosa aurea vide Innocent. III. in sermone in Dominica, *Lætare*.

Pag. 172. Nicolaus Capoccius Perusij Collegium quadraginta scholarium fundasse dicitur apud *Nomenclat.* eius Epitaphium habet.

Perusioque fundauit Monachorum vigintiquinque
Conuentum, & scholam scholarium bis præfatorum
In Auenione litigantes regebat in æde,
Viuens abstinentia, portauit ciliciumque, &c.

Pag. 173. in Capitulo generali celebrato diebus Pentecostes ann. M. DC. XXVIII. Præside Seraphino Sicco fratrum Prædicatorum Generali translatæ D. Thomæ reliquiæ pretiosissima theca conclusæ, in nouo & magnifico altari repositæ sunt.

Pag. 174. Philippus Cabassole Cauallicensis; Simon de Langhan Anglus: Bernardus de Bosqueto Caturcensis, Guido *Quercet.* Stephanus de Poissi, *eidem.* Petrus de Chinacho Comes Petragoricensis Ciac. Petrus *du Puy* quem Gerardum à nostro

vocari ait *Quercet.* addit Ciacon. Arnaldum Bernardi de Monte maiori ex Archiepiſcopo Auſcitano.

Pag. 175. dubitant aliqui an Carolus Romam acceſſerit: Cardinal. Viterbienſ. Ægid. in Hiſtor. 20. ſæcul *Carolus Jmperator cùm reſciſſet vrbem petere Vrbanum, eius veſtigia cum vxore ſequutus eſt.*

AD GREGOR. XI.

PAg. 198. certiſſimum eſt Gregorium XI. Clementis Papæ VI. nepotem, ex quo latere certant ſcriptores: hic noſter ex fratre, vt Ciacon. & alij, qui Petrum Rogerij Monſtrium vocant, at Papir. Maſſon. ex ſorore nepotem ſcribit: Clementem quidem omnes Guillelmi Rogerij Monſtrij Domini Vici Roſei, & matris patri cognominis filium aſſerunt: at Maſſon. Ioannam Rogeriam Monſtriam Clementis ſororem, Guillelmo Comiti Belfortij cui ſecundò nupſerat, Guillelmum & Petrum Belfortios genuiſſe: contrà alij Belfortij Comitem Guillelmum Clementis VI. fratrem aſſerunt. Porrò Maſſiliæ 9. Cal. Ianuar. electum ſcribit Maſſon. at cùm Vrban. V. Auenione deceſſerit 14. Cal. Ianuar. nec ex teſtamento eius corpus ante Nonas Iunij ann. M. CCC. LXXII. Maſſiliam tranſlatum ſit, non video cur & quomodo Patres intra quatuor dies Maſſiliæ cogi & vnanimi conſenſu Gregorium eligere potuerint.

Pag. 201. Simon & Ioannes ante obitum Vrbani Legati ad pacem deſtinati, miſſi tandem à

Gregor. XI. qui hac de causa scripsit. 2. Idib. Ianuar. ann. 1. suspicionis causæ in ipsorum dignitatibus habes in Epitaphiis de Simone *sed postea primas*

Totius Regni, magnus Regisque Minister,
Nam Thesaurarius & Cancellarius eius.
& infrà.
Nuntius ex parte Papæ transmittitur istue,
Orbe dolente Pater,

de Ioanne Epitaph. *sub Franco Rege Cancellauit duce Lege*: & vt refert Tilletus ex Regestis Parlamenti, *Maior & Principalior Consilij Regis*. Carolum VI. Regem Francorum in æde Paulina Parisijs baptizauerat.

Ead. pag. antequam ex Italia discederet Vrbanus Petrum de Stagno, *d'Estain*, & Anglicum Grimoaldi fratrem Vicarios constituerat: Anglicus aduersus Perusinos Duce Barnabone rebelles Nicolaum Attestinum Ecclesiasticis copiis ducem constituit. 5. Cal. Iulij: at Perusini iam ante ab Vrbano diris deuoti, reconciliationem postulant, permittit Vrban. 4. Cal. August. vt procuratores mittant. Perusium Anglico redditur, breui retinetur. Gregor. XI. Petrum vnum Legatum & Vicarium constituit, & quòd prælio interfuisset, de irregularitate dispensat.

Pag 202. Petrus Gometij Albornotius Conchensis: Ioannes de Crosso Iuris vtriusque Doctor, Ciuis Lemouicensis, Bernardus de Chanaco, aliàs de Caniliaco, Ciac. & Robert. hic anno M. CCC. XCIV. obiisse ait, ille M. CCC. LXXIV. Bertrandus Lagerij de Figiaco, Guillelmus de Chonaco ex familia de Pompadour.

Pag. 203. Epitaphium Philippi Cardin. *mox Episcopus Sabinensis, demum Legatus missus à Domino Gregor.* PP. *XI. Auenione sedente in Italiam, ad gubernandum Romanæ Ecclesiæ terras, obiit* Perusij *6. Cal. Septemb. ann.* M. CCC. LXXII.

Pag. 205. anno M. CCC. LXXIII. mense Iunio, Petrus Aragonum, & Henricus Castellæ Reges ad Guidonem Boloniensem Card. decidendas controuersias deferunt, iuncto Aragonij nomine Archiepiscopo Cæsaraugustano & aliis, & Henrici Salmanticensi Episcopo, eodem anno & cum Carolo Nauarræo idem fœdus sancit Legatus, obiit in hac Legatione Hispanica Guido Ilerdæ 7. Cal. Decemb. ann. M. CCC. LXXIV.

Ead. pag. Calendarium S. Victoris Massiliensis: *translatum fuit corpus eius, de Auenione ad sacrum Cœnobium S. Victoris Massiliensis, & positum in Capella S. Petri prope maius Altare ann.* M. CCC. LXXII. *Non. Iunij.*

Pag. 206. matrimonia interdixit, nam agebatur de collocanda Galeazij filia Ioanni Regis Aragonum filio, quod vetuit Pontifex datis litteris 2. Id. Iun. ann. 2.

Pag. 208. mortuo Philippo Cardinali Legato, Gregor. Geraldo Abbati Maioris Monasterij Turonensis Thesaurario S. A. in Italia Generali, interim commisit administrationem, litteris datis 6. Id. Septemb. anno 2. Guillelmus autem Cardinalis anno quarto legatur, à quo mense Nouembri cum Barnabone & Vicecomitibus pax inita est.

Ead. pag. Pax & conciliatio Regni Siciliæ 6. Cal. Septemb. ann. M. CCC. LXXII. Villanouæ ad Auenionem firmatur: consule Bzouium.

Pag. 210. Iacobus Balearicus an. M. CCC. LXXIII. cum copiis Ruſcinonem ingreditur, tentat pleraque, ſed expellitur, diſcedens obiit ann. M. CCC. LXXV. Soriæ ſepelitur.

Pag. 211. Guillelmus Iudicis, aliàs Monſtrius, ex Archiepiſcopo Narbonenſi: Hugo de Montelongo dictus de Britannia. Guido de Maloſicco, eius loci & Caſtrilucij Dominus, Petrus de Sortenaco, Ciacon. Petrus de Bernia: Ioannes de Buxeriis Aruernus *Ciacon.*

Pag. 216. quatuor tantùm Cardinales Aueniōne reliquiſſe ait Maſſon. ſed eos infra nos ad Clem. VI. nominabimus: huius autem itineris ordinem & ſucceſſum lege in itinerario Petri Amelij Alectenſis, quod habes apud eundem Maſſon. & Bzou.

Pag. 220. Carolo Imperatori natus Vvencezlaus ann. M. CCC. LXI. qui nondum anno completo Boemiæ Rex renuntiatur, & ab Arnulfo Pragæ Archiepiſcopo coronatur: eligitur demum in Regem Romanorum ann. M. CCC. LXXVI. de qua litteris datis Francofurti 4. Id. Iun. certum facit Pontificem, eúmque ſuis litteris Vvencezlaus rogat, vt coronari permittat: eam in rem Nuntij ad Papam miſſi anno ſequenti cum litteris ſcriptis 10. Cal. Octob. M. CCC. LXXVII.

Pag. 225. quæ Gregorio defuncto acta ſint Romæ, fusè à noſtro ſcriptore tractata, apud Theoderic. à Niem. lib. 1. de Schiſmat. ad Vrbani ſui gratiam traducta, lege, & quæ Bzou. to. XV. Annal. ann. 1. ex MSS. Vaticanis.

AD CLEMENT. VII.

CLementem VII. vel Vrbanum VI. neutrum, vel ambos, veros Pontifices ne quæras: Iampridem ita volente Deo coalito Ecclesiæ schismate, illa quæstio sopita est, quæ frustra nunc vel malo animo retractaretur: sufficiat ambos electos, eorúmque successoribus abdicatis Martinum verum Pontificem ab vniuersa Ecclesia agnitum fuisse. Clementem verò cur inter Romanos Gallosque recenseam si quæris; optauit patria, voluit electio, operis inscriptio exegit, ipsaque Gallia quæ verum Pontificem eum semper coluit, vt in hunc ordinem referrem hortata est.

Pag. 244. Bartholomæus de Prinhano Neapolitanus, Barensis Archiepiscopus electus 6. Non. April. ann. M. CCC. LXXVIII. mense Maio Anagniam recedunt Galli Cardinales, de eligendo Pontifice consilium ineunt, in Barensem procedunt, Fundos veniunt, & vocatis tribus Italis Cardinalibus Robertum Gebennensem 12. Calend. Octob. in Clementem VII. eligunt. Hic primò Canonicus Parisiensis fuerat: Vrbanus autem 14. Cal. Octob. 29. Cardinales creauerat *Ciacon.* 23. Theoderic. à Niem. qui ab eo desciuere, Philippus de Alenconio Patriarcha Aquileiensis, qui tamen in gratiam Bonifacij IX. rediisse creditur, vt & Pileus de Prata, Galeatus Tarlatus de Petra mala Tuscus: recusarunt autem purpuram Fridericus Archiepiscopus Coloniensis, Simon de Falkenstein Archiepiscopus Treuerensis, Ar-

noldus de Horne Episcopus Leodiensis. Petrus d Rosembeg Boemus, Adolphus Archiep. Mogun tinus: numerantur Vrbani Cardinales 54. aut 56

Pag. 247. Iacobus de Viss. Ciac. Gallus, Petru Amelij Ebredunensis dicitur Ciacon. & numera tur tertius Petrus Soracenacus Iuris Doctor, ex auditore Rotæ, & Archiepiscopo Ebredunensi à nostro verò inter Gregor. Cardinal. recensetur alios recenset. *Ciacon.* qui à nostro vel omittuntur, vel ad aliam creationem referuntur.

Pag. 248. Carolus IV. Imperator annum agens 63. obiit Pragæ 3. Cal. Decemb. Anno Christi M. CCC. LXXVIII. notat autem Bzouius ex MS. Vatic. misisse Vvencezlaum oratores ad Vrbanum ad diadema petendum.

Pag. 250. Ludouicus Comes Flandriæ, causam adhæsionis Vrbano prætexebat, ipsas Clementis litteras ante suam electionem, quibus Vrbanum verum Pontificé asseuerasset: *vide Meyer. in Ludouico*, qui fluctuantibus in Concilio Gandauensi Flandrorum opinionibus, ex Icti Itali sententia Flandriam Vrbano fauisse scribit.

Ead. pag. Henricus Castellæ Rex 13. Cal. Iun. anno M. CCC. LXXIX. obiit.

Pag. 253. quatuor Cardinales Gregorium XI. Auenione reliquisse alij scribunt; *Quercet.* sex hi fuerunt, Anglicus Grimaldi Cardinal. Albanus; Ægidius Issalni Cardin. Tusculanus; Ioannes de Blansaco Cardinalis Sabinus; Petrus de Monturuco Cardin. tit. S. Anastasiæ; Guillelmus de Chanaco, Cardin. S. Vitalis, dictus Mimatensis; Hugo de sancto Martiali, S. Mariæ in Porticu, Decanus Diaconorum, obierat autem Cardinalis Tuscu-

Ianus Auenione Non. Decem. an. M. CCC. LXXVIII.

Pag. 260. erratum in numero, Carolus enim pater primus fuerat ex primogenitis Francorũ, Viennensiũm Delphinus: legendum itaque secundus.

Pag. 261. mouit Carolus cum sexaginta hominum millibus contra Flandros, ex quibus quinque & viginti millia, & supra ipseque rebellium Dux Arteuillus ceciderunt. 5. Cal. Decemb. ann. M. CCC. LXXXII.

Pag. 264. hi duo Cardinales in Italia à Clemente relicti, vt supra scribitur, à Carolo Dyrrachij Duce, Neapoli capti, pridie Non. Decemb. ann. M. CCC. LXXXII. in Ecclesia sanctæ Claræ, coram Carolo & Gentili de Sangro Card. Legato Vrbani, & omni Regni nobilitate, abiurato Clemente, Cardinalitiis insigniis igne combustis, Vrbanum legitimum Pontificem professi sunt, tandem post diutinum carcerem Auenionem dimissi sunt: ita narrat Ciaconius; at Theoderic. à Niem. ne verbum quidem.

Pag. 265. huius reductionis Ioannis Castellæ processus manu scriptus habetur in Biblioth. Fuxensi, ex quo patet missos ab vtroque electo in Castellam Legatos; ab Vrbano Franciscum de Vrbino Fauentinum Episcopum, & Franciscum de Siclenis de Papia legum Professorem; à Clemente Petrum de Luna S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardin. & Henricum Regem propter diuersas Doctorum sententias indifferenter se habere voluisse: at Ioannes filius cùm solemnes curias coronationis suæ causa Burgis ageret, eo negotio proposito quòd verè de electionis facto non constaret, statuit mittendos Romam & Auenionem

Legatos, ab vtroque Electorum processum & factum electionis suæ petituros, & ab aliis personi quæ vtrinque præsentes fuerãt depositiones recep turos: ipsósque Electos rogaturos, vt suos oratores promouendi eius negotij gratia in Castellan mitterent. Itaque supradicti missi, Petrus scil de Luna in Villa Metinæ Campo Salmanticensi diœcesis die veneris 23. Nouembris anno M. CCC LXXX. coram Rege Prælatis, Baronibus, & populo, propositionem suam fecit: die verò Dominica 25. Nouembris Franciscus de Vrbino pro Vrbano ibidem orationem habuit: sequenti die Lunæ 26. Nouemb. Rodericus Bernardi rationem reddidit Legationis in Italiam & Auenionem, quam vnâ cum fratre Fernando de Iliescas Ordinis Minorum confessario Regis susceperat; & facta vtriusque electi sub bulla conclusa tradit, quibus electionis historia plenissimè continetur, sequitur deinde vniuersus Legationis processus, cum infinitis pene diuersorum auditionibus & depositionibus, in quibus istius schismatis veritas manifestissimè patet: ea tamen omnia nobis inuident hortulani canes, non ipsi Collegij socij, qui, vt homines litteratos decet, ad Reip. litterariæ augmentum semper procliues fuerunt.

Pag. 274. Ioannes Maresius Aduocatus fisci ab aliis dicitur, cuius opera vsus Carolus in sedanda Parisiensium seditione; innocentiam eius plerique asserunt, necem ad inimicorum potentiam referentes.

Pag. 275. Ciacon. hanc electionem refert ad 10. Calend. Ianuar. an. M. CCC. LXXXIX. malè cùm Aymericus Episcopus Parisiensis anno M. CCC. LXXXIV.

Petrus Aiscelini & Petrus de Crosso M.CCC. LXXX VII obierint, patet autem ex Regestis Parlamenti Parisiensis, vt docuit *Quercet.* die Martis 29. Decembris M CCC. LXXXIII. Petrum de Fatigni Parlamenti Aduocatum Cardinalem creatum relatum esse in acta, vbi & decem Cardinales electi dicuntur, inter quos Episcopi Parisiensis, & Laudunensis. 1. Petrus de Crosso eius Epitaphium in Collegio S. Martial. Auenion. ab ipso fundato, non meminit Archiepiscopatus Arelatensis, sed tantum Bituricensis. 3. malè Amelij Ciacon. instaurator Collegij Parisiensis sui nominis. 4. lege Gualterus de Vardelan Scotus. 5. Aymericus de Magnaco natione Lemouicensis, in Villa S. Iuniani, ex nobilibus parentibus, vtriusque Iuris Professor, Ioannis & Caroli Regum Consiliarius, Magister Requestarum hospitij, Decanus Ecclesiæ Parisiensis, deinde Episcopus, tandem Cardin. tit. S. Eusebij, ex eius Epitaph. in Cathed. Parisiensi, vlt. Iacobus de Fitiniaco, Petrus dicitur in præcitatis regestis & Ciacon.

Pag. 277. Ciacon. electionem Petri de Luxembourg ad ann. M. CCC. LXXXVI. refert.

Pag. 280. Bertrandus de Canlaco, Archidiac. Agathensis & Clericus Cameræ Apostolicæ vocatur à Clement. VI. literis datis ann. M. CCC. L. Abrincensis Ecclesiæ administrator dicitur in Epitaphio, fortè Aniciensis. 2. Thomas Amantus Pistoriensis. 3. Ioann. de Placentinis Gallus Ciacon. 4. rectè Quercet. Amelius *de Lautrec.* 5. Ioannes de Murelliis ex Vicecomitis d'Estaing. *Claud. Robert.* 6. Petrus de Tureyo Narbonensis *Ciacon.* 7. Ioannes de Broniaco.

Pag. 286. Petrus ex Comitibus Pratæ, Archi-
piſcopus Rauennas, preſbyter Cardinalis tit. S
Praxedis creatus ab Vrban. ann. M. CCC. LXXXVII
vbi pro eo multas Legationes obiit, eius ſeueritа
te territus, ann. M. CCC. XCVI. ad Clementem vn
cum Galeoto venit, à quo ſacerdotio ditatus titu
lum S. Priſcæ accepit, pro quo in Italiam Legatu
defuncto Vrbano in gratiam cum Bonifacio ſucceſ
ſore rediit. Galeotus Tarlatus de Petra mala Areti
nus Diac. S. Agathæ ab Vrbano creatus, tit. S
Georgij in Velabro à Clement. accipit, cui & ſuc
ceſſori adhæſit.

Pag. 287. Auenionenſes Petrum patronum co
lunt & feſtum diem celebrant die 5. Iulij, leguntu
in Concil. Baſileenſi litteræ Philippi Burgundia
Ducis expoſtulantis vt in Sanctorum numerum re
feratur. Clemens VII. an. M. D. XXVII. iuſſit eiu
lipſana transferri & honorari.

Pag. 291. Petrus Aragonum Non. Ianuar. ann
M. CCC. LXXXVII. Barcinone obiit: Ioannes filiu
ſucceſſor impellente Iolanta vxore, ex animo Ba
renſis Ducis, 2. Non. Febr. in Clementis verba
iurat.

Pag. 295. anno M. CCC. LXXXVII. circa menſem
Iulij frater Ioannes de Monteſono Ord. Prædicat
in ſcholis eiuſdem Ordinis Pariſiis, quatuordecim
poſitiones Theologicas contra communem opi
nionem ſcholaſticorum ſcandalo poſuit; quæ à fa
cultate Theologica, deinde ab Vniuerſitate ſtudi
Pariſienſis damnatæ ſunt, & iuſſus eas retractare
frater Ioannes, quod ſe facturum intra certam diem
pollicitus eſt, cùm priùs ſe ex iniuncto officio &
non ſine magno conſilio promulgaſſe aſſeueraſſet

id tamen

id tamen non præſtitit, quare ad Epiſcopum Pariſienſem delatus, contumax ab eo damnatus eſt: prouocat ad Pontificem Ioannes, defenſionem pro eo ſuſtinet vniuerſus eius ordo. Miſſi ab vniuerſitate Petrus de Alliaco, Ægidius de Campis, & Ioannes de Noua villa in ſacra pagina Magiſtri, & Petrus de Alainuilla Doctor in Iure Canonico, hoc eodem anno; contra eum propoſita à Petro de Alliaco leguntur inter eius opera MS. in Collegio Nauarræ cum Tractatu ab eodem edito ex parte Vniuerſitatis Pariſienſis in cauſa fidei, ex quo patet non ſolùm circa B. Virginis Conceptionem dictum Ioannem diſputaſſe, nam nouem priores ex 14. ſunt de Incarnatione, vel his quæ ad eam ſpectant, confirmatâ tamen cenſurâ à Clemente, Ioannes in Aragoniam vnde oriundus erat aufugit, maximam in ordinem ſuum inuidiam relinquens; ille ab Vniuerſitatis corpore abſciſſus eſt, nec niſi longa poſt tempora reſtitutus: Ioannes Gerſon, deflet adhuc vigeſimum quintum poſt annum ſciſſuram, vt ipſe loquitur, miſerabilem, & mutilationem luctuoſam partis non modicæ Vniuerſitatis, poſtea tamen quod notari velim ait, cæterum memoriter teneo, cur & qualiter primitus ab Vniuerſitatis conſorttio *via quadam indirecta* ſegregati fratres prædicti. *Ex Ioann. Gerſon. in 1. part. epiſt. ad ſtudentes Colleg. Nauarr. Chronic. MS. Carol. VI. in Biblioth. Thuan. fol. 63. Propoſitionib. & Tractat.* Petri de Alliaco *MSS.*

Pag. 300. moritur Vrbanus VI. Romæ Idib. Octob. ann. M. CCC. LXXXIX. quem nullus Cardinalium ab eo creatorum potuit deflere. 4. Non. Nouemb. electus Petrus Tomacellus Neapolita-

nus, quem deponere deceſſor ſtatuerat.

Pag. 306. Guillelmus de Vergeyo filius Ioannis Domini de Fouuenes Seneſchalli Burgundiæ Philippum Ducem excommunicauerat, eò quòd Axonæ intra vetera iura Ciuitatis Biſuntinæ monetam cuderet, Giaci à Duce obſeſſus, ceſſit, & creatur Cardinalis: vid. *Ioann. Chifflet. in Veſont.*

Mortuo Clemente VII. anno M. CCC. XCIV. electus Petrus, cuius creationis breuem formulam hanc reperi inter ſchedas aliquas Biblioth. Fuxenſ.

Anno Domini M. CCC. XCIV. *die mercurij quæ fuit* XVI. *Septembris in Palatio Pontificali Aunionenſi, mortuus eſt Dominus Papa Clemens VII. natione Gebennenſis, ex Comitibus Gebennenſibus, qui obijt dicta die circa horam ſextam. Et ea die hora Veſperarum, in ipſo Palatio congregati ſunt infra ſcripti Domini Cardinales. Quos Ego .... in camera paramenti dicti Palatij congregatos vidi, videlicet.*

EPISCOPI CARDINALES PRÆSENTES.

Dominus Petrus de Orſinis, de Florentia, Cardinalis Portuenſis.

Dominus Guido de Maloeſſo, Lemouicenſis, Cardinalis Prænestinus.

Dominus Ioannes de Grangia, Burgundus Cardinalis Tuſculanus.

Dominus Nicolaus de Branchaciis, de Neapoli, Cardinalis Albanenſis.

Hi ambo absentes erant, non tamen Legati, sed pro suo solatio, primus in Arragonia, in Ecclesia sua Valentina: secundus in Lotharingia.

Dominus Iacobus de domo Regali de Arragonia, Cardinalis Sabinensis.

Dominus Ioannes de Nouocastro Burgundus, Cardinalis Ostiensis.

PRESBYTERI CARDINALES OMNES PRÆSENTES.

D. Guillelmus de Agrifolio, Lemouicensis, Decanus Collegij, tit. sancti Stephani in Cœlio monte.

D. Leonardus de Giffono, de Regno Siciliæ, frater Minor, tit. S. Sixti.

D. Bertrandus, Lemouicensis, dictus Hierosolymitanus, tit. S. Pudentianæ.

D. Thomas de Pistorio, Tuscus, dictus Neapolitanus, tit. S. Praxedis.

D. Ioannes de Parma, Lombardus, dictus Venetiarum, tit. S. Cyriaci in Thermis.

D. Ioannes de Murolio, de Aluernia, tit. S. Vitalis.

D. Petrus de Cureyo, Lugdunensis, tit. S. Susannæ.

D. Ioannes de Bruniaco, Gebennensis, dictus Viuariensis. tit. S. Anastasiæ.

D. Martinus de Salua, de Nauarra, dictus Pampilonensis, tit. S. Laurentij in Lucina.

D. Ioannes de Viuario, dictus Auxitanus, tit. SS. Ioannis & Pauli.

D. Petrus Lugdunensis, dictus Aniciensis, tit.

ſancti Petri ad Vincula.

D. Guillelmus de Vergeyo, Burgundus, tit. S. Ceciliæ.

D. Petrus Cardinalis Hiſpaniæ, hic non habuit titulum, quia numquam fuit in Curia, & creatus de nouo.

DIACONI CARDINALES:

D Hugo de ſancto Martiale, Lemouicenſis, S. Mariæ in Porticu.

D. Petrus de Veinhio, Lemouicenſis, S. Mariæ in via Lata.

D. Petrus de Luna, Arragonenſis, S. Mariæ in Coſmedin.

D. Amedeus de Saluciis, ex Marchionibus de Saluciis, S. Mariæ Nouæ. Iſte hac die non erat præſens, ſed in beneficio ſuo de Bolena, venit tamen poſt & interfuit ſepulturæ.

D. Galeotus de Petramala, de Aretio in Tuſcia S. Gregorij ad velum aureum.

Die Veneris XVIII. *Septembris ſepultura facta fuit corporis, hora ante tertiam, & receptum fuit corpus de Capella magna Palatij, & portatum ad ſanctam Mariam Eccleſia Cathedralis Auenionenſis, vbi congregati erant Cardinales, celebrauitque Miſſam, Dominus de Giffone Cardinalis, & fecit ſermonem.*

Completa nouena omnes prædicti Domini Cardinales præſentes numero XXII. *intrauerunt Concla ue die Sabbati* XXVI. *dicti menſis in Veſpere, qu vnanimiter & concorditer elegerunt in Papam, prædictum Dominum Petrum de Luna ſanctæ Mar*

in Cosmedin Diaconum Cardinalem, die Lune sequenti immediate Vigil. Dedicationis S. Michaelis : qua die hora prandij exiuerunt conclaue, & duxerunt dictum Dominum Papam, ad nostram Dominam de Dopnis Ecclesiam Cathedralem, fuitque impositum sibi nomen Benedictus Papa XIII.

FINIS.



CONSPECTVS, MEMORABILIA HVIVS HISTORIÆ COMPLECTENS.

A


BBATIA, Luthomusléſis in Epiſcopalem ſedem erecta. 84. item Montis Caſſini. 25. quæ poſtea in priſtinum ſtatum redacta eſt. 161
Ægidius Aluari Legatus in Italiam mittitur. 109
Adulphus de Marcha poſt adminiſtratas duas Cathedrales Eccleſias, vxorem ducit. 149
Alexandria à Rege Cypri capta & vaſtata. 155
Alfonſus Caſtellæ Rex de Sarracenis triumphat. 56
Algezira vrbs Infidelibus erepta in Epiſcopalem Eccleſiam erigitur. 84
Alziarius Anciani Comes inter ſanctos annumeratur. 177
Andreas Vngariæ Regis frater occiditur. 75. cauſa iſtius obitus. 76
Arnaldus de Seruola Archipreſbyter in Alamannia crudeliſſimè ſæuiens 153. expellitur & trucidatur. 154
Auenio, muris, turribus,

fossis, &c. cincta & vallata. 138

B

BAndarenses qui?225 sum. Pontificem pro arbitrio suo, vi & horrendo tumultu, cõcitato Cardinales eligere cogunt. 226. *&* *sequent.*

Bartholomæus de Prinhano quo pacto sedem Romanam inuadit, falsò cognominatus Vrbanus VI. 238. cui Imperator, multique alij Principes assentiuntur. 248. idem captus. 278. pertinax decedit. 300

Bellum Ludouici Bauariæ Ducis, & Odoardi Angliæ Regis, in Philippum Frãcorum Regem. 52

Benedictus XII. Papa creatur 45. Prius Ordinis Cistercienf. Monachus 46. Decretum eius de Visione Dei ante iudicium extremũ. *ibid.* Palatium Aueniõne magnificum cõdi curat 49. eius constitutiones variæ ad Monachos spectantes 59. 60. sex Cardinales ordinat 64. eius grauissima dicta. 68. 69

Bolonia vsurpata 84. summo Pontifici restituitur. 85

Blanca Castellæ Regina Iudęi cuiusdam & mulierculæ maleficiis cõiugi suo exosa 110. præ tristitia obiit. 113

C

CAlesij ab Odoardo Angliæ Rege obsessi, & dediti. 81

Cardinales etsi sine titulo, in electione summi Pontificis ius habent suffragij, curque eis loqui prohibitum. 144

Campus floridus, cimiterium pestiferorum Auenione. 89

Carolus de Hispania Conestabularius Franciæ vt morti traditus. 117

Carolus Rex Romanorum, Imp. coronatur sub Innocẽtio VI. 116

Carolus Rom. Imperator Vrbano V. Papæ obuiā procedens quæ ipsi præstet obsequij argumenta. 176
Carolus de Luxembourg Imperator Ludouico Bauaro vsurpatore eiecto coronatur 78.79. denuo coronatur. 83
Christo & Apostolis nullam fuisse peculiarem siue communem possessionem qui pertinaciter affirmauerit, erroneus & scripturæ contrarius. 27
Clemens V. Papa creatur 9. Cardinales ordinat 10. ac depositos restituit 11. duæ aliæ ordinationes. 13.15
Clemens VI. creatur. 71. eius acta. *seq.*
Clementis VII. Papæ electio 242. Cuius tempore schisma ortū Bartholomæi Prinhani Antipapæ illicita & coacta electione 243. *& seq.* Legatos ad Reges mittit quorum ope in sede sua confirmetur 146. sex Cardinales ordinat 147 itē octo alios. 275
Clementinæ cōstitutiones à Ioanne XXII. Papa promulgatæ, & ad generalia studia destinatæ. 23
Concilium Viennense conuocatum eiusque sessiones. 13. 14
Contentio Vniuersitatis Parisiensis in fratres Prædicatores, de Cōceptione B. Virginis. 295. *& seq.*

E

EPiscopatus Tolosanus 20. Cæsaraugustanus. 24. Maguntinensis. 84. in Archiepiscopatus erecti.
Episcopatus Albiensis, Agennensis, Lemouicensis Claromontanus, Pictauiensis, Albigesiensis, Tarraconensis in plures diuisi. 21. 22. 24

F

FLagellatorum secta, orta & extincta. 96
Festum Lanceæ & Cla-

uorum Christi in Alamannia & Bohemia à quo institutum. 117
Florentini aduersus Gregorium XI. Papam insurgunt 212. 213. *& seq.* causæ istius rebellionis. 216
frater Franciscus de Pistorio Ordinis Minorum hæreticus crematur. 58
Frigus intensissimum anno M. CCC. LXIIII. 149. 150

G

GRegorius XI. Papa 198. eius ordinatio duodecim. 202. nouem Cardinalium. 211. Auenione Romam repetit. 218. eius obitus. 223
Guillelm' Petri de Guoderio Ordin. fratrum Prædicat. insigni pietate & doctrina. 57
Guncherius Comes de Narzemburg Ludouico Bauariæ Regi in vsurpatione Imperij succedit. 82. moritur. 83

H

HEnricus Alamanniæ Rex, à Clemente V. Rex Romanorum nominatus. 12
Hugo Abbas Tutellensis, suo Monasterio relicto Carthusianum ordinem amplectitur. 97

I

IAcobus Maioricarum Rex ab Aragonum Rege victus. 93
Iacobus & Petrus de Columna de Cardinalatu suo depositi à Clemente V. restituuntur. 11
Iaque bon-home: Dux Gallicanæ seditionis in Delphinū Viennensem Regis primogenitum. 124
Imbertus Delphinus Viennensis Franciæ Regem Delphinatus successorem constituit. 94. & Prædicatorum ordinē amplectitur, tum demum Patriarcha Alexandrinus. 95
Incendū Bituricense. 113

Innocentius VI. Papa. 107. ſex Cardinales ordinat. 121. itẽ octo. 136. Monaſteria, Auenione Collegiumque multis reditibus Toloſæ fundauit & dotauit. 138. 139
Inundatio maxima ſub Clemente VI. 72
Ioanna Siciliæ Regina Romam ingreſſa, roſa aurea à ſummo Põtifice donatur. 170. 171
Ioanna Siciliæ Regina ab Antipapa Bartholomęo regno ſuo ſpoliatur. 263. Ducem̨ Andegauẽſem in hæredem adoptat *ibid.* obitus eius violentus. 276
Ioannæ Philippi Franco Regis vxoris obitus. 91
Ioannes XXII. Lugduni ſum. Pontifex coronatus. 18. variæ eius 28. Cardinalium ordinationes. 19. 25. 28
Ioannes Andreæ Decretorũ Doctor ſub Benedicto XII. Papa cæterique nominatiſ-

ſimi.
Ioannes Francorum Rex captiuus Burdegalam ducitur. 120. eius obitus in Anglia. 152. quo pacto liberatus. 134
fr. Ioannes de Rupeciſa Ord. Minorum vaticinator ab Innocent. VI. in vincula coniectus. 122
Iubilæus à centum annis ad 50. reuocatur. 77

L

Legati Odoardi Anglorum Regis ad Benedictum XII. Papam capti. 62. in interçeptores grauiſſimè animaduertitur ab ipſo Pontifice. 63
Lemouicum ab Edoardo Principe Valliæ expugnatum & dirutum. 187
Ludouicus Epiſcopus Toloſanus Siciliæ Regis filius in ſanctos refertur. 20
Ludouicus Bauariæ Dux excommunicatur à Ioann. XXII. Papa. 22. qui in ſum. Pon-

tificis locum pſeudo Antipapam ſufficit. 30. eius confœderatio cum Odoardo Angliæ Rege aduerſus Philippum Regem Franciæ. 52. Eiicitur de Imperio cuius fuerat vſurpator. 78. moritur. 82

Ludouicus Flandriæ Comes Clementi VII. Papæ & Conſanguineo ſuo fidem denegat. 249

Lyranus Doctor Ord. Fratrum Minorũ ſub Benedict. XII. Papa. 61

M

Monſpeſſulanus Regi Franciæ venditur. 95

Mors repentina Gaſtonis Comitis de Fuxo, & Amedei Iunioris Sabaudiæ Comitis. 308

Mors Andreæ Regis Vngariæ fratris, punita. 85

N

Nicolaus Notarius Tribuni Romani poteſtatem vſurpans. 90. temeritatis pœnas luit. 91

O

Odoardi Valliæ Principis Burdegalam aduentus. 114. cęde & igne multa oppida vaſtat. 115. Ducatum Aurelianẽſem inuadit. 118. & victoriam reportat. 120

Odoardus Angliæ Rex de Philippo Francorum Rege victor. 80. Caleſiũ diu obſeſſum, occupat. 81

Ordo de Militia IESV CHRISTI inſtitutus. 24

P

Pacificatio Regum Franciæ & Angliæ per Androinum Abbatem Cluniacenſem. 132

Palæologi Græcorum Imperatoris Romam aduentus, eiuſque Romanæ Eccleſiæ præſtita obedientia. 180. 181

Perinus de Tomaſſelis

Bartolomæi Antipapæ successor ab Anticardinalibus eligitur. 300
Pestilentia per vniuersum prope orbem. 87. 88
Petrus Aragonum Rex fidem præstat Benedicto XII. pro Sardiniæ Regno. 56
Petrus de Corbario pseudo Papa. 30. dictus Nicolaus V 31. eius Confessio. 35. *& seq.*
Petrus Castellæ Rex à Regno suo expellitur. 159. 160. Restituitur ab Odoardo. 161
Petrus de Lucemburch Cardinalis 277. inter sanctos relatus. 289
Petrus Cælestinus inter sanctos annumeratur. 15
Petri Ioannis de Serinhano Ord. Minorum postillæ à Ioãne XXII. vt hæretica damnata. 28
Prioratus Grandimontis in Abbatiam mutatus. 24

R

Roberti Siciliæ Regis obitus sine liberis. 74
Rustici cuiusdam temeritas se Marchiæ Marchionem asserentis 97
Rustici in Iudæos & Christianos sæuientes à Duce Bauariæ in fugam conuersi. 55

S

Schisma Clem. VII. tempore. 255. *& sequent.*
Sedes Apostolica Auenionem propter bellorum tumultus translata Romæ restituitur. 168
Sociales qui. 126. & vnde. 128. ad quos expugnandos Card. Ostiensis ab Innocentio VI. mittitur. 130. item eorum vastationes & deprædationes. 150. 151
Societas Dẽperica quæ? 140

T

Templarij in Gallia capti. 11. igni traditi. 12. eorum ordo

deletus. 14
Terrræ motus Auenione. 200. item in Basiliensi territorio. 120
Thomas Anglicus in sanctorum numerum adscriptus. 25. item Thomas de Aquino. 26. cuius corpus translatum. 173
Tumultus Flandrensium à Comite suo deficientium. 260. punitus. 261
Tumultus Parisinus. 173 Londiniēsis in Anglia. 262. item Tolosanus in magnates. 123 in Viterbio. 167

V

VIctoria Odoardi Angliæ Regis in Philippum Franciæ Regem. 80. 81
Vrbani V. Reditus Auenionem. 186. vbi multa ædificari curat. 187. *& seq.* eius in ea decessus. 197
Vrbanus V. in Papam electus 145. duo Monasteria condit & reditibus Collegium Aueniōēsę amplificat 147. de reditu Romā à Carolo Imperatore rogatur. 152. Auenione Massiliam applicat 162. & mare conscendit. 163. quæ in eius reditu occurrerunt. 164. *& seq.*
Vvillermus Hollandiæ Comes à Frisonibus occiditur. 82

Y

YVo Aduocatus Britanniæ in sanctorum numerum refertur. 87

FINIS.

